I. N. J.

TRACTATIO JURIDICO

DE EO

QVOD JUSTUM EST

CIRCA

BONA OMNIA,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Authoritate Illuſtris JCtorum Ordinis in Celeberrima ad Salam Academia

SUB DIRECTIONE

Viro Magnifico atque Excellentiſſimo

DOMINO

CHRISTIANO WILDVOGEL,

JCto Famigeratisſimo, Sereniſſ. Ducum Saxo-Vinar. Conſiliario Aulico Splendidisſimo, Anteceſſore, Facultatis Juridicæ, Scabinatus & Curiæ Provincialis Adſeſſore Graviſſimo.

Patrono ac Promotore ſuo omni honoris & obſequii cultu ætatem devenerando

Pro ſummis in utroque Jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus rite conſequendis

ſolenni eruditorum diſquiſitioni ſubmittet

JOHANNES DANIEL WOLFARTUS,

Hanovienſ.

Apud JOHANNEM MEYERUM, Bibliop.

Anno M. DC. XCVII.

ILLUSTRISSIME atq; CELSISSIME COMES,

Domine Clementiſſime.

AUdacior juſto videri forſan potuiſſem, qui tenuitatis meæ probè conſcius Tanti Nominis ſplendori pagellas haſce commendare ſum auſus, ſi aliter mentem devotiſſimam, perpetuumque, quod tibi Celſiſſime Comes debeo, ſubjectiſſimum obſequium teſtari licuiſſet. In id enim hactenus omnes meas cogitationes contuli, omniſque conatuum meorum finis extitit, ut Patriæ, Tibique adeò Patriæ Patri Clementiſſimo, quem ſummo obſequio, ac devotione humillimâ proſequi omnia me divina & humana jura compellunt, præcipuè conſtaret, quantum utrique Veſtrum debeam. At nullo hactenus modo, ob maximam virium tenuitatem, re ipsâ declarare valui, quod oblatâ tandem exoptatiſſimâ hâcce occaſione teſtatum facere molior; Cujus ſummæ temeritatis, ab incredibili quodam, ſubmiſſiſſimæ meæ, erga Illuſtriſſimam Tuam Celſitudinem, obſervantiæ, ſtudio, profectæ, indulgentiorem veniam impetraturum me fore confido. Nec enim argumenti dignitate, nec elaborationis nitore, quæ nulla eſſe ſentio motus id ipſum ſuſcipio, ſed in ſola immenſæ tuæ atque immeritæ Gratiæ, qua & Parentem meum, & me quoque indignum

hucus-

cumulaſti, quamque deprædicare nunc non audeo, ne magnitudinem ejus humili oratione & tenui ſtylo deprimere magis, quam extollere videar, ſpe lætor ac requieſco eamque perpetuam mihi humillimè expeto. Suſcipe igitur Pater Patriæ Clementiſſime *munuſculum hocce, pro ſolito tuo inſigni favore, quo omnes bonarum literarum, Juſtitiaque adeò cultores, aſſoles, &, quod devotus animus offert, vultu aſpectuque propitio clementisſime dignare, meque, ſi tanti illud eſt, debiti ſummopere* Illuſtrisſimæ Tuæ Celſitudini *obſtrictum me profiteor, quodque nullam ex me unquam compenſationem admittit, aliquâ parte exonera. Summum ego* BONORUM OMNIUM *ſacerdotem ſupplex devenerabor indefeſſus, ut* Illuſtriſſimam Tuam Celſitudinem, *cum* Sereniſſimâ Conjuge, *inter extremas infelicisſimorum temporum anguſtias Patriæ quam diutisſimè ſupereſſe, & exoptatisſimâ pulcherrimâq;* Prole, *patriæ ſpe diulcisſimâ, benignisſimè beare velit.*

Illuſtrisſimæ Tuæ Celſitudinis

ſubjectisſimus

Joh. Dan. VVolfart.

Q. D. B. V.

Ingreſſus.

§. I.

MEthodi receptæ Legibus inſiſtens, ac ne illotis prorſus manibus, contra monitum JCti Caii *in L.1.ff. de O.I.* tractationem præſentis materiæ ſuſcepiſſe videar, pauca quædam, ad verborum, quæ in Rubricâ habentur, licet ea per ſe ſatis pateſcant, interpretationem pertinentia, præmittenda eſſe cenſui.

§. II.

Bonorum appellatio generalis. Bona ſunt vel Naturalia,

Eſt autem BONORUM appellatio tam generalis, ut non tantum prædia ruſtica & urbana, ſed & mancipia, ſupellex, & Kalendarium eo verbo contineantur, tradente JCto Scævolâ *in L.37.ff. de Uſu & Uſufr.leg.* Porrò vel naturalis eſt Bonorum appellatio, vel civilis *L.49.ff. de V.S.* Naturaliter bona dicuntur, quæ reverâ & effectu bona ſunt, quia beant h.e. beatos faciunt. conf. Tiraquell. *tr. ad L.8. C. d. rev. donat. Gloſſ. Bona. n.1. & ſeqq.* Unde Javolenus *in L.83. eod. tit.* colligit: proprie Bona dici non poſſe, quæ plus incommodi, quam commodi habent, & hoc ſenſu bona intelligun-

tur, quæ deducto ære alieno ſuperſunt *L.39. §.1.eod.* & ab hereditate ſeparantur *L.16.pr.ff.ad SCt.Treb.* Civiliter bona dicũtur, quæ cum revera bona nõ ſint, uſu tamen loquendi talia vocantur, ex eo, quod Jus patrisfam. univerſũ contineant; quâ ratione ſucceſſio in univerſum jus alicujus, quamvis damnoſa ſit, Bonorum tamen poſſeſſio appellatur *L.3.ff.de bon.poſſ.* conſ. *L.208.ff.de V.S.*

vel Civilia.

Quænam in bonis eſſe dicantur.

Atque his bonis Civiliter talibus annumerantur non ſolum ea, quæ in dominio noſtro ſunt, ſed & quæ, b. f. â nobis poſſidentur, vel ſuperficiaria ſunt. Pariter & ſi quid in actionibus, petitionibus, perſecutionibus eſt, bonis quoque accenſebitur, quia hæc omnia in Bonis eſſe videntur per *L. 49. ff. de V. S.* Breviter omne illud in Bonis noſtris eſſe dicitur, quod aliquâ ratione in patrimonio noſtro eſt *L.1.ff.de Rer. Div. L.f. §. non ſolum ff. quæ in fr. cred.* Quo ſenſu Bona nobis in ſubſequentibus plerumque accipienda erunt.

§. III.

Omne nihil excipit.

Alterum Rubricæ vocabulum adeò etiam generale eſt, ut eo in Jure noſtro poſito nihil omninò excipiatur *L. 13. C. mand.* Licet ſ[illegible]ius illud, cum aliis hujusmodi vocibus univerſalibus v. g. nihil, quilibet &c. ad æquitatis normam reſtringatur. Baldus *in L. f. C. ſine cenſ. vel rel.* Sic omnis debiti nomine, uſuras tantũ venire ex *L.34.pr.ff. de Leg.3.* & omnis periculi appellatione caſus fortuitos nõ contineri ex *L. 4. ff. de Magiſtr. conven.* junct. *L. 2. §. eo tempore ff. de adminiſtr. rer. ad civ. pert.* abundè patet. Coëterum omnia pro utrisque *in L. 11. §. 6. verſ. quid tamen. ff. ad L. Falcid.* & pro duobus *in L. 18. ff. de Adopt.* dictum legimus. conf. omninò Bertachini *repert. ſub voc. omnis.*

§. IV.

Methodus in tracta.

Atque hæc quidem obiter tetigiſſe ſufficiat. Progredimur nunc propius ad Thematis noſtri tractationem, variisque

Juris

Juris noſtri materias, ubi de BONIS OMNIBUS ex profeſſo agitur, percurram. Quo autem omnia ordine ac decenter procedant, tria formabo capita (1) de Bonis omnibus in actibus inter vivos (2) de Bonis omnibus in Actibus ultimarum voluntatum & denique (3) de Bonis omnibus in Delictis; In ſingulis vero capitibus, quantum potero, Imperialium Inſtitutionum ordinem ac methodum ſervabo. *tione hujus thematis obſervanda.*

CAPUT. I.

DE

BONIS OMNIBUS IN ACTIBUS INTER VIVOS.

§. I.

QVandoquidem vero omne Jus hominum cauſa conſtitutum eſt *L. 2. ff. de ſtat. Hom.* ac homines coram hominibus hominumque miniſterio de jure ſuo contendunt diſceptantque, hinc primo omnium de perſonarum jure, ſeu hominum ſtatu dicendum erit. Meyer. *in C. J. A. tit. ff. de ſtat. hom. th. 3.* Eſt autem hic ſtatus triplex; Libertatis, Civitatis & familiæ *l. f. de cap. min.* Prioribus duobus ſtatibus, utpote argumento noſtro haut inſervientibus, ſponte miſſis, de ultimo ſaltem ſolliciti erimus, in quo homines vel ſui vel alieni juris, & hi rurſus vel ſub poteſtate dominica vel patria eſſe dicuntur. Acquiritur verò patria poteſtas tribus potiſſimum modis, videl. Juſtis nuptiis, Legitimatione & adoptione, de quibus ſingulis ordine videndum.

Connexio.

Status hominum triplex.

§. II.

In nuptiarum materia primo loco elegans quæſtio ſe offert, *Bonorum*

fert,

communio conjugalis utrũ conveniat Juri civili & canonico? fert, utrum ſc. praxis illa, quâ multis in regionibus: Hiſpaniâ videl. Daniâ, Belgio, Galliâ & Germaniâ conjuges eo ipſo, quo matrimonium contrahunt, tacitè quoque BONORUM OMNIUM Communionem inire videntur, Juri noſtro Civili & Canonico conveniat, nec ne? Et antiquisſimo quidem Romanorum jure ex Romuli ſanctione inter conjuges omnimodam Bonorum communionem fuiſſe ex Dionyſ. Halicarnaſſ. *L. 2. antiq. Rom.* probavit Magnif. Dn. Præſes *in program. inaug. de ſacris Privatis.* Quod idem Inſtitutum Numa Pompilius in LL. ſuis ſecutus eſt, dum dicit. *ſi pater permiſerit filio uxorem ducere, quæ ex Legibus particeps ſit & ſacrorum & BONORUM, patri poſt hac nullum jus eſto vendendi filium.*

Neg. de Jure noſtro Civili. Verum ſubſequentibus temporibus adeò in diſtinguendo ac ſeparando mulieris maritique patrimonio occupati fuerunt Romani, ut nullo modo confundi ea paterentur, ne uxores nuptiarum occaſione Bonis ſuis ſpoliarentur, & repudio fortè à primo marito miſſo, tanquam inopes, & Bonis omnibus privatæ novo marito carere neceſſum habeant, quod ex *t. t. C. ne uxor pro marit. &c.* ſatis eluceſcit. Ut hinc dubitandum non ſit, huic Juri incognitam prorſus eſſe conjugalem hancce Omnium Bonorum ſocietatem moribus receptam. Struv. *tit. de rit. nupt. §. 56.*

§. III.

Idem de J. Can. dicendum. De Jure Canon. dubium movet Gloſſ. *in can. cum ſocietas C. 27. q. 2. ex cap. 2. x. de donat. int. vir. & ux.* Verum illud ſaltem *ex cit. cap.* probari putaverim, poſſe conjuges, ſi velint, multas res communiter posſidere ad quarum diviſionem ſoluto matrimonio tenentur; De Omnimodâ autem Bonorum communione ne verbulum quidem in dicto textu extat. Manifeſtisſimum itaque exinde eſt, conjugalem hanc ſocietatem neq; Civili neque Canonico Jure: (Inter hæc enim Jura nullus in dubio diſſenſus admittendus eſt per *cap. 1. x. de nov.*

nov. op. nunc.) introductam, ſed naturam ejus totam ex variis locorum, ubi viget, ſtatutis ac conſuetudinibus indagandam eſſe. Mev. *p. 3. D. 123. n. 5.* Et hinc multis adhuc in Provinciis, Imperiique noſtri civitatibus hac parte jus Civile Romanum obſervatur, quo præter promiſcuum rerum uſum, nullam veram inter conjuges ſocietatem eſſe, modo probatum dedimus. Vid. Mevius *ad J. L. p. 2. t. 2. art. 12. n. 106.* Garſias *de conj. acq. n. 31.*

§. IV.

Qv. quando ſocietas conjugalis initium ſumat?

Sed ex quonam tempore conjugalis hæc ſocietas initium capiet? anne ſtatim ex momento matrimonii initi poſt ſacerdotalem benedictionem? an vero aliud quid inſuper neceſſarium? In Luſitaniâ, teſte Molin. *de J. & J. tom. 2. Diſp. 422. n. 3.* & Friſiâ, tradente Joh. à Sande *L. 2. tit. 5. def. 1. in f.* conſummatum matrimonium, aut ad minimum conjugalis thori ingreſſus requiritur. Add. Lambert. Goris *in adverſ. jur. tract. 1. cap. 2. n. 1.* Alibi vero annuam conjugum cohabitationem & convictum deſiderant. Goris *d. cap. 2. n. 2.* Breviter dicendum exiſtimamus: Ubi tale quid nec ſtatuto cautum, nec conſuetudine introductum reperitur, ibi conjugalem hanc ſocietatem ſtatim ex tempore matrimonii initi, ac coram ſacerdote perfecti, incipere. Coeterum per pactum huic ſocietati, etiam in illis locis, ubi aliàs communio hæc introducta, renunciari poſſe, probatum dedit Dn. Lauterb. *ſpec. diſſ. de ſociet. Bon. conj. cap. 2. §. 24. & cap. 6. §. 1.* conf. Mev. *ad J. L. p. 2. t. 2. art. 12. n. 127. & ſeq.*

Reſolutio Quæſtionis.

Renunciari poteſt huic ſocietati per pactum.

§. V.

Differentia ſocietatis conjugalis & Legalis.

Differt autem Conjugalis ſocietas ab Omnium Bonorum ſocietate Legali, de quâ inferius agendum erit, tribus præſertim modis. Primò, quod in hac, juxta juris noſtri diſpoſitionem, ſocii, etiam O. B. ex alterius contractu cum extraneo inito in ſolidum non obligentur *L. 4. pr. ff. de Exerc. act.* Gail. *L.* 1.

galis triplex. 2. *O.24.n.9.* Mev. *ad J. L. Lib.3.tit.9.art.5.n.19.& 20.* In conjugali vero durante matrimonii vinculo conjugum quilibet in ſolidum obſtrictus ſit. Mev. *p.3.D.166.n.2.*
2 Secundò quod in conjugali ſocietate Bona quoque poſt matrimonium contractum alterutri conjugum acquiſita, ipſo Jure, non exſpectatâ novâ eorum communicatione, communia fiant, quia Lex communionem hanc inducit. Vinn. *ad pr. J. de ſociet. n. 3.* In ſocietate vero O.B. legali communicatione, quoad Bona poſt ſocietatem initam quæſita, opus ſit. *L. 73. & 74. ff. pro ſoc.*
3 Et denique tertiò: quod in illâ ſocietate ſuperſtes conjux æque ſortis ac lucri partem accipiat. Chriſtin. *deciſ. cur. Belg. 216. n. 8. vol. 1.* Quod aliter ſe habet in Legali, ubi lucro tantum inter ſocios diviſo; ſoli conferenti ſors reſtituenda eſt. Gail. *d. l. n. 6.* Sichard. *in C. tit. pro ſoc. L.1.n.4.* Ex quo apparet, argumentum â Legali O.B. ſocietate deductum in conjugali communione non ſemper procedere, nec ad Legalem â conjugali ſecurè argumentari licere. Mev. *ad J. L. L. 3. t. 5. art. 5. n. 35.*

§. VI.

De dote O. B. Nuptiis plerumque dos accedere ſolet, licet etiam illæ ſine eâ conſiſtere poſſint. *Nov. 74. cap. 4.* Quanta autem dos eſſe poſſit, nunc ordine explicandum venit. Et quamvis olim, L. Juliâ de maritandis ordinibus certus modo dotibus impoſitus fuerit, obſervante Merill. *2. obſ. 6.* Attamen Jure noſtro Civili apertè cautum reperitur, licere uxori etiam OMNIA BONA, ſi velit & expreſsè conſenſum ſuum declaret, in dotem marito adferre. *L. 4. C. de Jur. dot.* Andr. Kohl. *de pact. dot. p. 1. n. 72.* Berlich. *p. 3. concl. 51.*

Quænam Bona in dotem dari poſſint. Sive mobilia ea Bona ſint, ſive Immobilia, adeò ut etiam feudum proprium, ſi inæſtimatâ & abſque pacto de lucrandâ dote dederit, aut hiſce caſibus Domini feudi conſenſum adhibuerit, hac parte non excludatur. Illuſtris ac Magnificus Dn. Stryke *Exercit. ...*

Præceptor meus ſubmiſsâ obſervantiâ ad cineres uſque colendus in Exam. Jur. Feud. cap. 19. qu. 3. vel ſi ad patrem feudum ſpectet, ille dotaturus conſenſum Domini & Agnatorum, in feudo antiquo, ad id habeat. Dn. Struv. *S. J. F. cap. 13. §. 5.* Imò & Regna & Principatus, qui pleno proprietatis jure poſſidentur, in dotem dari poſſe probat Hugo Grot. *de J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 12. & L. 2. cap. 6. §. 3.* Add. Illuſtris Dn. Strykc. *tr. de ſucceſſ. ab Inteſt. D. 8. c. 5. §. 17.* Omnibus autem Bonis in dotem datis futura Bona non comprehendi cum Bocer. *cl. 2. Diſp. 18. §. 25.* & Treutl. *V. 2. D. 7. §. 4. lit. b.* vult Matth. *D. 7. §. 15.* citatus â Dn. Struv. *Ex. 30. §. 6.* quamvis contrarium ex Baldo notet Gothofred. *ad L. 4. C. de J. dot.*

§. VII.

Bona ſimpliciter marito tradita in dotem data non cenſentur.

Notanter vero ſupra dixi, mulierem O. B. in dotem dare poſſe, modo conſenſum ſuum expreſſè declaret; Ex eo enim ſolo quod mulier Omnia Bona marito tradiderit, in dotem data ea neutiquam cenſentur, cum facti ſit dotis conſtitutio, & bona poſſint eſſe paraphernalia. Dn. Struv. *Ex. 30. §. 6.* Wiſſenb. *ad ff. tit. de Jur. dot. §. 14.* Imò ex receptâ Doctorum ſententiâ in dubio Bona mulieris marito tradita paraphernalia potius, quam dotalia præſumantur. Menoch. *de præſumt. L. 3. præſ. 8. n. 34.* Hinc neceſſaria pro uxore, quæ conſtante matrimonio dotem augere cupit, cautela eſt, ut curet expreſſe Quietantiæ inſeri, ſe hæc ut dotalia inferre; alioqui enim in concurſu creditorum prælatione non gauderet, cum ob paraphernalia hypothecâ quidem, ſed non prælationis privilegio proſpectum ipſi ſit. Conf. omnino Illuſtris Dn. Stryke. *tr. de Caut. Contr. ſect. 3. cap. 8. §. 6.* Quamvis itaque univerſa Bona mulier in dotem dare poſſit, minus tamen conſultum eſt ſponſo nobili magnam dotem acceptare; pro quantitate enim dotis dotalitium conſtituendum, & ſic quo major dos eſt, eo majus præjudicium ac gravamen Feudis infertur. Idem *d. l. §. 5.*

Cautela eſt pro ſponſo nobili ne magnam dotē acceptet.

§. VIII.

§. VIII.

Dotis conſtitutio nõ præjudicat Legitimæ.

Coëterum uxorem hac ipsâ dotis Conſtitutione Liberis ac parentibus in Legitimâ præjudicare non poſſe, probatur *arg. L. 19. C. de don. ant. nupt.* Hæc quippe ab ipſis deducitur, etſi ſpecialiter reſervata non fuerit, valido coëteroquin manente pacto dotali. Carpzov. *p. 3. C. 12. D. 4.* Klock. *tom. 3. Conſ. 123. n. 14.*

Nec opus eſt reſervatione partis bonorum, de quibus teſtari queat uxor.

Illud vero neceſſarium non eſt, quod Carpzov. *p. 2. C. 12. Def. 26.* requirit, ut ſc. uxor O. B. in dotem dans, certam eorum partem ſibi reſervet, de quibus teſtari queat. Licet enim hoc ipſum in pactis dotalibus ſæpius fieri ſoleat; Juris tamen necesſitatem non inducit, cum teſtamenti factio abſolutè necesſitatis non ſit. Illuſtris Dn. Strykè. *tr. de ſucceſſ. ab Int. D. 8. c. 5. θ. 20.*

§. IX.

Mulier minorennis in dotis conſtitutione læſa reſtitui poteſt in integrum.

Denique notandum, mulierem minorennem, quæ circumventa Omnia Bona vel maximam eorum partem in dotem dedit ac læſa hoc modo fuit, in integrum reſtitutionis beneficium impetrare poſſe. Utut enim dotis Domina maneat per *L. 3. C. de Jur. dot.* atque ita lædi non videatur; privatur tamen Bonorum ſuorum uſufructu, & per hoc læſionem incurrit. Quod remedium etiam heredibus mulieris, ſi tempora præfinita nondum exceſſerint, dabitur per *L. un. C. ſi adv. dot.* quia commodum hujus privilegii, licet perſonalis, ad heredes tamen tranſit. *L. 6. ff. de reſt. in int.*

Qu. an etiam mulier majorennis reſtitui poſſit? Neg.

Imò etiam mulieri 25. annis majori hoc modo læſæ idem remedium concedit Sfort. Oddus *de Reſt. in int. p. 1. qu. 14. n. 51. ob L. 6. §. f. de Jur. dot.* quod tamen probandum non videtur, quia *in d. L. 6. §. f.* ſuccurrendum eſſe dicitur majori, non quidem per in integrum reſtitutionem, ſed ex æquo & bono, ob naturam actionis dotis, quæ in æquum & bonum concepta eſt *L. 8. ff. de cap. dim.* vid. Dn. Brunnem. *ad d. L. 6. §. f. & ad L. un. C. ſi adv. dot. in f.*

§. X.

§. X.

De Legitimatione.

Ad ſecundum patriæ poteſtatis conſtituendæ modum, Legitimationem puta, nunc tranſeundum; Ubi nihil ferè, ad præſentem materiam faciens, notandum occurrit, niſi quod Legitimati per ſubſequens matrimonium, cum liberis Legitimis æquali fortunâ perfruantur, & hinc pariter parentibus, cum reliquis legitimè natis in OMNIBUS BONIS poſt mortem relictis tanquam ſui, aliisque cognatis & agnatis tanquam Legitimi ſuccedant, Patris teſtamentum, in quo vel planè præteriti, vel inique ſaltem exheredati, nullum reddant, & Donationem quoque inofficioſam quoad Legitimam revocent. Dn. Lauterb. *ſpec. diſſert. de Legit. per ſubſeq. matr. th. 36.* Quibus ex aſſe ferè comparantur per Reſcriptum Principis Legitimati. Siquidem & hi cum aliis liberis legitimis æqualiter in ſucceſſione concurrunt, ſi pater in libello ſupplici, pro legitimandis liberis ex concubinâ ſibi natis, ad Principem miſſo liberorum mentionem fecerit, & Legitimatio â Principe, licet jam tum mortuo patre, ex plenitudine poteſtatis, & cum clauſulâ: *non obſtante &c.* facta fuerit. Etenim liberis legitimis hoc modo non aufertur jus quæſitum, ſed minuitur ſaltem jus quærendum, quod usque ad Legitimam fieri poteſt. Quousque enim pater liberis præjudicare poteſt teſtamento, eousque etiam Princeps conſenſu patris id facere poterit. Conf. Illuſtr. Dn. Stryke *in tr. de ſucceſſ. ab Int. D. 1. cap. 2. §. 74.*

Legitimati per ſubſeq. matr. æquiparãtur liberis legitimis.

Ut & per Reſcr. Principis legitimati.

§. XI.

De Adoptione.

Sequitur tertia & ultima: (contra Donell. *Enucl. L. 2. cap. 24.* qui ex *L. un. C. de ingr. lib.* etiam delictum ſeu ingratitudinem, ob quam liberi emancipati in priſtinam poteſtatem reducuntur, ſuperaddit, cui contradixit Hillig. *in not. ibid.*) patriam poteſtatem conſtituendi cauſa, ſc. Adoptio, quæ vel eſt in ſpecie ſic dicta, vel Arrogatio; Cui ultimæ is effectus maxi-

Effectꝰ Arrogationis.

maximus tribuitur, quod non tantum arrogatus ipſe, ſed & liberi, in poteſtate ipſius tempore arrogationis exiſtentes, unà cum BONIS OMNIBVS in poteſtatē & familiam arrogatoris tranſeant. *§. 11. J. de adopt. L. 15. pr. ff. eod.* Ita tamen ut præter Bonorum uſumfructum patri Arrogatori nihil acquiratur. *§. 2. I. de acquiſit. per adrog.*

§. XII.

De Impuberis arrogatione.

In ſpecie de Adrogatione impuberis: (quem, utpote adhuc Veſtem, adrogari non permittebant olim Romani; quod ipſum tamen poſtea ex D. Antonini Conſtitutione mutatum fuiſſe, aſſerit Ulpianus *in fragm. tit. 8.*) notandum, quod præter accuratiorem cauſæ cognitionem ex parte arrogatoris fidejuſſoria cautio requiratur, de reſtituendis Bonis, ſi infra pubertatem arrogandus deceſſerit, illis, ad quos aliquid perventurum fuiſſet, ſi in ſtatu ſuo pupillus manſiſſet. *L. 18. & 19. ff. de adopt.* Cum enim pupillus ante pubertatem teſtandi jure non polleat, & hinc proximos agnatos à Bonorum ſucceſſione excludere nequeat, proſpiciendum ipſis fuit, ne ſucceſſionis commodo priventur. Pariter & in pupilli favorem ac ſecuritatem cautio hæc introducta, ne arrogator ad inſidias Impuberi ſtruendas invitetur. Unde patet, adeptâ pubertate cautionem hanc penitus exſpirare, cum ſic arrogatus contradicere arrogationi, teſtamentumque condere poterat, quod ſi non fecerit, decedens Arrogatori Bona omnia reliquiſſe cenſendus eſt, & proximi ejus damnum ſentiunt, non facto arrogatoris, ſed ipſius arrogati. Zoeſ. *tit. ff. de adopt. n. 9.*

§. XIII.

Quid ſi arrogatus exheredetur vel ſine cauſâ juſtâ emancipetur?

Quod ſi vero Arrogator pupillum arrogatum exheredaverit, vel vivus ſine causâ juſta manumiſerit, tunc non tantum Omnia Bona, quæ ad ipſum attulit, & quorum commodum ei quæſivit, confeſtim reſtituere, ſed & inſuper Quartam Bonorum

norum ex Reſcripto D. Pii relinquere ipſi tenetur. §. *3. J. de Adopt. L. 22. pr. & §. 1. ff. & L. 2. C. eod.* Quo caſu inſigniter controvertunt DD. Utrum hæc Quarta OMNIUM BONORUM ſit, an vero Quarta portionis Legitimæ, i. e. Quarta illius partis, quam ab Inteſtato habiturus fuiſſet? Priorem ſententiam præter alios defendunt Dn. Lauterb. *in Colleg. Theor. Pract. tit. ff. de adopt. §. 8.* Meierus *in C. J. A. eod. tit. th. 51.* & Franzk. *Ex. 2. qu. 9.* ex illâ potiſſimum ratione, quod ubivis hæc Quarta indefinitè Bonorum dicatur. Jam vero cum Bona ſint univerſa bona, non pars bonorum, quadrans bonorum quoque non partis erit, ſed univerſorum Bonorum. Contraria tamen ſententia, uti æquior, ita & verior videtur. Non enim infrequens in Jure noſtro eſt, quartam portionis ab Inteſtato debitæ Quartam Bonorum dici, veluti Legitima liberorum, quæ procul dubio illius portionis quarta pars eſt, Quarta Bonorum dicitur. *in L. 6. C. de Inoff. teſtam.* Et ſanè iniquiſſimum eſſet liberos fictos melioris debere eſſe conditionis, quam veros, cùm adoptio naturam imitetur, & pro illis liberis civilis tantum, pro his vero etiam naturalis ratio militet. Inſtat quidem Franzk. *d. l.* dicendo: hoc nullam iniquitatem involvere, cum arrogator durante arrogatione fructus bonorum arrogati lucratus fuerit, & ita ſubſtantiam propriam meliorem fecerit. Sed commodè reſponderi poteſt, ratione hujus commodi arrogatorem etiam onus alendi arrogatum ſuſtinuiſſe. Nec denique obſtabit *L. f. ff. ſi quid. in fr. patron.* in verb. *ex bonis, quæ mortis tempore illius, qui adoptavit, fuerunt pars quarta &c.* ſi illam Legem reſtringamus ad caſum, ubi unus tantum arrogatus ab eo, qui alios liberos non habet, quia non niſi orbo regulariter adrogare permiſſum eſt *L. 17. §. 3. ff. de adopt.* quo caſu cum adrogatus ſolus ſit, Omnium Bonorum quartam habebit. Dn. Hopp. *in Comment. Inſt. tit. de Adopt. §. 3.* Zoeſ. *ad ff. eod. tit. n. 11.*

Qu. utrū Quarta D. Pii. ſit Omnium Bonorum, an verò quarta Legitimæ portionis? Aff. poſterius.

§. XIV.

Qv. an hæc Legitima J. N. aucta ſit? Aff.

Cum itaque evictum ſit Legitimam ſaltem Impuberi arrogato exheredato, aut injuſtè emancipato deberi, ulterius quæritur, an hæc Legitima pariter pro numero liberorum arrogatorum aucta ſit in trientem & ſemiſſem per *Nov. 18.* Negativæ ſubſcribit Mynſingerus ex ratione, quia per *d. Nov. 18.* eorum tantum quarta aucta dicitur, quibus antea Inofficioſi teſtamenti querela competebat; Atqui vero hæc arrogato non competiit *L. 8. §. 15. ff. de Inoff. teſt.* Verum neganda hic videtur ſubſumptio, cum utique ante D. Pii Conſtitutionem arrogato querela competierit; D. Pius vero jus arrogati non minuit, ſed auxit potius, ut non amplius opus habeat querelâ, ſed proprio & meliori quidem Jure quartam ſuam obtinere poſſit, ſicuti contextus *d. l. 8. §. 18.* abundè docet. Verior itaque affirmativa ſententia eſt, ne quod in favorem pupilli arrogati receptum eſt, in odium ipſius retorqueatur. B. Dn. Brunn. *in R. P. W. tit. de adopot. qu. 17. in f.* Bachov. *in Comment. Inſt. eod. tit. §. 3.*

§. XV.

De hominibus ſui juris.

Hæc quoad primum membrum propoſitæ ſuperius diviſionis, quâ homines vel alieni, vel ſui juris eſſe dicebantur, dicta ſufficiant; Conſequens eſt ut de iis videamus qui ſui juris ſunt. Atque hi vel in totum plenâ libertate fruuntur, ita ut de Bonis ſuis Omnibus pro lubitu diſponere valeant; vel quadantenus reſtrictâ, quales ſunt pupilli, minores, furioſi, prodigi &c. qui ob ætatem, vel animi, vel corporis vitium judiciique defectum, propter quem ne ſuis quidem negotiis ſupereſſe poſſunt, aliorum tutelâ vel curâ reguntur, quarum illâ principaliter perſonam & per conſequentiam BONA OMNIA, hæc vero Bona principaliter concernit. Quæ omnia, cum per ſe ſatis nota ac vulgata ſint, lubens prætereo, & in ſpecie ad Curatelam Legitimam prodigi paucis ſaltem me converto.

§ XVI.

§. XVI.

Definitur vero prodigus ab Ulpiano *L. 1. ff. de Cur. furioſ.* *De prodi-*
&c. qui neq; finem neq; modum expenſarum novit, ſed BONA *go.*
ſua OMNIA dilapidando & diſſipando profundit, ac proinde præcedente cauſæ cognitione magiſtratûs decretò ab adminiſtratione Bonorum ſuorum arcetur, & Agnatorum inſpectioni ſubjicitur. Licet enim ille, qui notoriè diſſolutè & luxuriosè vivit, patrimoniumque ſuum immoderate expendit, reverâ & ethicè prodigus ſit, attamen quoad rerum ſuarum adminiſtrationem Juris effectu pro prodigo nemo habendus eſt, antequam Judicis ſententiâ pro tali declaratus, bonorumque adminiſtratione privatus fuerit: Quod ipſum olim his verbis expediebatur: *Quando tua Bona paterna avitaque nequitiâ tuâ diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem, tibi eâ re commercioque interdico.* Paul. *Lib. 3. ſent. tit. 5.* Factâ itaque Bonorum interdictione, omnis prodigo circa facultates & Bona ſua diſponendi libertas ademta eſt, ita ut nec contrahere, nec teſtari, nec codicillari, nec juramento obligari poſſit, ſed quaſi procul â regimine prodigus dicatur. vid. latè Gomez. *tom. 2. var. Reſ. cap. 14. n. 30. & ſeqq.* Equidem furioſo rectè prodigus comparatur, uti enim illi ſana mens, ita huic ſani mores deſunt, unde furioſum rerum ſuarum exitum facere dicitur *in L. 12. de tut. & curat. dat.*

§. XVII.

Planè ad exemplum prodigi etiam mulieri luxuriosè & *Qv. An*
inhoneſtè viventi BONIS OMNIBUS interdici poſſe, quia, *etiam me-*
quæ perſonam ſuam malè & inique conſumit, etiam bona ſua, *retrici bo-*
conſumere cenſetur, afferit Idem Gomez. *d. l. §. 33.* propter *nis inter-*
L. Et mulieri 15. pr. ff. de Curat. furioſ. &c. Verum in hoc *dici & cu-*
textu per mulierem luxurioſam non intelligi prodigam pudoris, ſed pecuniarum, cum luxuria apud Latinos pro diſſipatione bonorum accipiatur *arg. L. 40. pr. ff. de damn. inf.* latè de- *rator dari* *poſſit.*

 ducit

ducit Arius Pinellus *ad L. 4. C. de Bon. mat. n. 21.* citatus ab Emanuel. Soarez. *in not. ad Gomez. d. l. lit. m.* Quamvis hic, cum utraque prodigalitas ferè ſemper concurrat, Gomezii ſententiam, tanquam publicæ utilitati magis conſentaneam, impunè atque inculpatè obſervari poſſe putet.

§. XVIII.

De excuſationibus tutorum vel curatorum.

Cum autem tutela, pariter ac curatela, publicum munus ſit, adeoqve ad hoc ſuſcipiendum etiam invitus quis cogi poſſit, hinc certas excuſandi ſe, à tutelâ vel curâ delatâ vel ſuſcepta, cauſas Imperator noſter tam in *Inſtitutionib.* quam *ff. & Cod.* ſuo præſcripſit, quarum aliquas Inſtituto noſtro inſervientes recenſebimus.

Qv. an paupert. excuſet?

Sanè paupertatem extremam, ſi quis adeò BONIS OMNIBUS deſtitutus ſit, ut vix diurno quæſtu famem propulſare ſeque ſuſtentare valeat, juſtam excuſationis cauſam præbere patet. *ex §. 6. J. de Excuſ. tut. vel curat. L. 7. & 40. §. 1. ff. eod.* Equidem paupertas onus per ſe ſat grave eſt, quo egenus diſtringitur, neque pupillo utile videtur tutorem habere, qui ex bonis ipſius victum ſibi quæreret, & propter inopiam vel negligenter vel non fideliter pupillares res adminiſtraret *L. pen. §. f. ff. d. t.* cujusque inopia inanem redditura ſit actionem tutelæ, per *L. 6. ff. de dol. mal.*

An lis cũ pupillo?

Sed quid ſi litem cum pupillo vel adulto tutor vel curator habeat; Qv. an & ob hanc excuſare ſe queat? Et quidem ob litem de re modicâ Excuſationi locum non eſſe, expreſsè tradit Imp. *in §. 4. J. de excuſ. tut.* Quod ſi vero de OMNIBUS BONIS, vel majore eorum parte, vel hereditate controverſia ſit, omnino tutor vel curator excuſare ſe poterit, vel potius tutelam vel curam ſuſcipere prohibendus erit. *d. §. 4. L. 20. & L. 21. ff. eod.* Expedit enim pupillo tutores habere amiciſſimos. *L. 36. pr. ff. d. t.* Jam vero, cum bona alter veluti homini ſanguis ſint, indeque atrociſſimæ inimicitiæ oriantur, hinc litem cum altero de bonis omnibus habens, inimicus ipſius præſumitur. Manz.

ad

ad Inſt. tit. de Excuſ. tut. §. 4. n. 1. Coeterum jure novo Quæſtio hæc planè inutilis videtur, cùm per *Nov. 72. c. 1. & 2.* Juſtinianus debitorem creditoremve pupilli vel adulti tutorem vel curatorem creari expreſſe prohibuerit, eique qui pupillo, aut cui pupillus poſt coeptam tutelam debere cœpit, perpetuum curatorem adjungi voluit; ſolâ matre & aviâ exceptâ, quæ debito aut credito minimè impediuntur, quo minus filiorum ſuorum aut nepotum tutelam gerere valeant. *Nov. 94. cap. 1. auth. ad hæc C. qu. mul. Off. tut.* Conf. omnino Dn. Lauterb. *in Comp. tit. de Tutel. in Subj. n. 7.*

§. XIX.

Utrum vero juſta excuſationis cauſa ſit, ſi teſtator uſumfructum O. B. uxori reliquerit, adeoque pupillus nulla bona poſſideat? disquiri hic meretur. Negative quæſtio hæc deciditur *in L. 18. C. de Excuſat. tut.* Cujus deciſionis ratio eſt, quod filius heres inſtitutus in his bonis Legitimam nihilominus ſalvam habeat, eamque, patre fatis functo, unâ cum uſufructu ſuo deducere poſſit. *L. 32. & auth. noviſſima. C. de inoff. teſtam.* Conf. Dn. Brunn. *ad d. L. 18. n. 4.* Imo licet nulla prorſus Bona pupillus poſſideat, ſed tanta inopiâ laboret, ut non habeat unde vivat, ea propter tamen tutor ipſi datus â tutela minimè excuſabitur, cum principaliter non bonis ſed perſonæ tutor conſtituatur. Quo caſu ipſe quidem tutor de ſuo pupillum alere non cogendus eſt, ſed proximos monere debet, ut alimenta pupillo conferant, cum onus alimentandi reguletur juxta ordinem ſuccedendi. Brunnem. *d. l. n. 5.*

An paupertas pupilli?

§. XX.

Denique Quæritur: numne tutor, ſi bona ſua in diverſis locis diffuſa habeat pupillus, omnia adminiſtrare teneatur? Affirm. hoc *in L. 11. C. de Excuſat. tut. vel curat.* quia tutor ſimpliciter â teſtatore datus, ad univerſum patrimonium datus eſſe cenſetur, *§. 17. I. cod.* modo tamen bona illa in eadem pro-

Tutor ſimpliciter datus, ad univerſum

vin-

patrimonium datũ videtur. vinciâ ſita ſint, per *L.21. §. 2. ff. d. t.* aliàs enim intra quinquaginta dies excuſare ſe poterit. *d. L. 11. C. de Excuſ. tut. vel Curat.* Idem ad tutorem â magiſtratu ſimpliciter, ſine expreſſione, quod etiam reſpectu bonorum datus eſſe debeat, conſtitutum, applicat Perez. *in C. tit. ubi pet. tut. vel Curat. n. 2.*

§. XXI.

De Jure Rerum & rerum Diviſione. Adductis breviter iis, quæ de BONIS OMNIBUS in Jure perſonarum occurrere ſolent, tranſitus nunc ad Jus rerum faciendus eſt. Sunt autem res (præter alias earum diviſiones, quas videre licet *in tot. tit. Inſt. & ff. de rer. diviſ.*) vel corporales vel incorporales. Incorporales ſunt, quæ tangi non poſſunt, i. e. quæ non â priori, ſed demum â poſteriori, videl. ratione exercitii, in ſenſus incurrunt, qualia ſunt, quæ in jure conſiſtunt, verb. gr. hereditas, uſusfructus &c. Atque hac *De Uſufruct. O. B. remiſſive.* ratione pauca de uſufructu tangenda eſſent; Quippe non tantum Bonorum mobilium & Immobilium ſed & OMNIUM BONORUM, ita, ut acquirenda ſimul comprehendantur uſumfructum conſtitui poſſe probavit *ex L. 34. §. 2. & ult. & L. 29. ff. de uſufr.* B. Dn. Struv. *Ex. 12. th. 8.* verum cum hæc materia commodius ad actus ultim. volunt. referri poſſit, ad *cap. 2.* eam reſervabimus, & in præſenti de Legali uſufructu, qui ſolâ Legis diſpoſitione, nullo hominis facto aut voluntate interveniente conſtituitur, quædam ſaltem ſubjiciemus.

§. XXII.

De uſufructu Legali. Competit autem talismodi uſufructus vi patriæ poteſtatis patri vel avo: primò in BONIS OMNIBUS liberorum adventitiis *§ 1. I. per qu. perſ. cuique acq. L. 6. C. de bon. quæ lib.* inque iis pleniſſimum utendi fruendi jus hic uſufructuarius Legalis conſequitur, adeò ut nec rationes reddere teneatur, nec bona ejus filio tacitè obligata ſint, niſi quoad Bona materna & materni generis, ſi ad ſecundas nuptias pater convolaverit, & filio novercam induxerit. Perez. *in C. tit. de bon. qu. lib. n. 10.*

Licet

Licet hodiè in Praxi indiſtinctè ob Bona adventitia liberis tacitam hypothecam competere aſſerat Illuſtris Dn. Stryke *in dict. ad Lauterb. Comp. p. m. 405.* Et quamvis alias nudus proprietarius proprietatem ſuam pro lubitu, invito etiam uſufructuario, vendere poſſit; diverſum tamen hoc caſu in filio obtinet, qui ſine patris conſenſu proprietatem Bonorum adventitiorum neque vendere, neque quovis alio modo alienare poteſt *L. f. §. filius autem. C. de bon. qu. lib.* quia patri, non filii, ſed Legis beneficio, uſusfructus in his Bonis competit. Accedit quod pater ſimul filii legitimus adminiſtrator ſit. *L. 1. C. de bon. mat.* Sicut ergò minor ſine curatoris conſenſu alienare Bona ſua nequit, ita nec filius absque patris voluntate. Quod adeo verum, ut nec juramento, quippe quod in patris præjudicium tenderet, firmata hæc alienatio ſubſiſtat, nec poſt mortem patris convaleſcat, uti contra Imol. *in cap. cum. conting. X. de jurej.* late defendit Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 14. n. 10.* Imò nec ob filii delictum vel contractum executionem in talia Bona, in quibus pater uſumfructum habet, fieri, nec confiſcari ea poſſe, in ſubſeqq. prolixè deducit Idem Gomez. *d. l.*

Filius invito patre bona adventitia alienare nequit.

§. XXIII.

Siſtit autem ſe hac in materiâ nobilis illa ac controverſa inter DD. quæſtio: Utrum hic uſufructus patri auferri poſſit, etiam in Legitimâ liberorum? Affirmativæ ſubſcribunt Berlich. *p. 1. D. 137. per tot.* Mev. *p. 7. D. 356.* aliique citati à Lauterb. *in Comp. p. 129. in pr.* propter generalitatem *Auth. excipitur C. de bon. qu. lib.* Verior tamen videtur negativa. arg. *Nov. 117. cap. 1.* ubi uſusfructus ademtio conceditur, poſtquam Legitima relicta fuerit; Ergo in ipsâ Legitimæ datione ceſſabit. Utut ergò mater filium hâc conditione heredem inſtituerit, ne ad patrem uſusfructus tranſeat, in Legitima tamen filii portione, â matre neceſſariò relinquendâ, pater non obſtante hac conditione uſumfructum habebit, quia mater quoad hanc jus diſponen-

Qu. an pater uſufructu legali privari poſſit, etiam quoad Legitimam.

ponendi non habuit, nec privatâ ſuâ diſpoſitione juri mariti officere, aut privare ipſum potuit uſufructu partis, quæ ex Lege ipſi debetur. B. Dn. Brunn. *ad d. auth. excipitur.* Perez. *in C. tit. de bon. qu. lib. n. 5.* Coëterum extraneum in totum hocce uſufructu patrem privare poſſe, nullus dubito, cum cuilibet liberum ſit rei ſuæ donandæ addere conditionem, quam vult. *t. t. C. de donat. qu. ſub. mod.* Pariter & eo caſu, ubi alimenta pater liberis recuſat, hunc uſumfructum ipſi denegandum eſſe, aſſerit Richt. *Deciſ. 18. n. 3.*

§. XXIV.

Competit patri uſusfructus in Bonis filii emancipati.

Secundo uſusfructus ex Legis diſpoſitione patri conceditur in bonis filii emancipati pro parte dimidiâ *§. 2. J. per qu. perſ. cuique acq.* ad remunerandum emancipationis beneficium, quod Bonorum quærendorum beneficium vocat JCtus, in *L. 1. ff. ſi à par. quis man.* Cum enim olim Imp. Conſtantinus patri partem dominii pleni tertiam in emancipationis præmium conceſſerit. *L. 1. & 2. C. Th. de bon. mat.* Juſtinianus noſter, ſublato eo jure, dimidiam ſaltem partem uſusfructus O. B. filii adventitiorum patri tribuit. *L. 6. §. 3. C. de bon. qu. lib.* Licet nec hodie amplius detentio illa dimidii uſusfructus obtineat, ſed pater filio emancipato Omnia Bona pleno jure cedere teneatur. Carpz. *p. 2. C. 10. D. 5.*

§. XXV.

Qv. num donatio O. B. valida ſit.

Ad donationis materiam, raram quidem in Praxi, ſed charam tamen, nunc ordo nos ducit, ubi primo loco controverſa illa inter DD. quæſtio: Utrum videl. Donatio OMNIUM BONORUM, tam præſentium, quam futurorum, valeat, nec ne? ventilanda occurrit. Negativam cum multis aliis tenent Carpzov. *L. 5. Reſp. 65.* & Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 4. n. 15.* qui eod. *tom. 2. cap. 14. n. 24.* nec juramento firmatam hanc donationem ſubſiſtere poſſe aſſerit. Moventur autem

Ratio dubitandi.

tem diſſentientes hac potiſſimum ratione, quod omnis alienatio, quæ liberam teſtandi facultatem adimit vel conſtringit, jure noſtro vetita ſit. *L.52.§.9 ff. pro ſoc.* Jam vero donatio O.B. adimit liberam teſtandi facultatem, cum is, qui nulla Bona in civitate reliquit, heredem habere non posſit *L. 28. ff. de V. & P. S.* quia hereditatem non reliquit. Ergo & vetita jure noſtro erit hæc donatio. Verum enim verò affirmativam ſententiam Juri noſtro longe convenientiorem eſſe exiſtimaverim, propter expreſſos textus, *in L.35.§.4. C. de donat. L. 8. C. de rev. don. L.5: C. de inoff. donat. & L. 17. §. 1. ff. quæ in fr. cred.* Ex quibus textibus evidenter apparet donationem O. B. omnino de Jure validam, nec contra Bonos mores eſſe; ſicuti hoc in ſpecie de donatione OMNIUM BONORUM, præſentium & futurorum piæ cauſæ factâ, quia in his Jus Gentium & Canonicum ſequimur, affirmat Tiraq. *priv. piæ cauſ. 100.* conf. B. Dn. Brunn. *ad L.35.§.4. C. de donat. n. 19.* Nec difficilis ad propoſitum argumentum reſponſio eſt. Major enim univerſalis non eſt, cum & arrogatione Omnia Bona in arrogatorem transferantur, & ſic libera teſtandi facultas conſtringatur, quæ tamen arrogatio nullo jure prohibita eſt. Ad minorem Reſp. donatorem O. B. nunquam damnari in ſolidum, ſed ſemper tantum retinere, unde exhibere ſe posſit, & ſic ſemper Bona habere, de quibus teſtari valeat. Neque etiam ſequitur, eum, qui nulla Bona relinquit, liberam teſtandi facultatem non habere, cum alioquin & omnes pauperes aut obærati teſtandi facultate carerent, quos tamen teſtari minimè prohiberi, & heredem habere poſſe certum eſt. *L. 42. de hered. inſt. & L. 22. §. 14. C. de Jur. delib.* Conf. Illuſtr. Dn. Stryke *tr. de Caut. Contr. ſect. 3. cap. 9. §. 4.* Perez. *in C. tit. de donat. n. 19.* Dn. Lauterb. *in Comp. p. m. 558.*

Affirmatur quæſtio.

Reſp. ad rat. dubitandi.

§. XXVI.

Cœterum donationem O. B. tam præſentium quam futurorum,

rorum, filio factam, ſi hic, uxore ſuâ herede inſtitutâ, patri præmoriatur, non tribuere viduæ ejus Legitimam, patri ex prædefuncti filii Bonis debitam, ex Balduccii *Deciſionibus* notatum reperitur in Act. Erud. *de A. 1689. menſ. deſembr. p. 608.* Pariter & illud fatendum eſt, Bonis omnibus ſimpliciter donatis futura non comprehendi, cum ſtricti juris ſit donatio *L. 22. ff. de donat.* & de gravi donantis præjudicio hic agatur. Wiſſenb. *ad ff. Vol. 2. D. 16. §. 11.* Hinc ſpeciali Bonorum futurorum expresſione opus, perindè ſicuti Bonis omnibus mobilibus & immobilibus donatis, ſpecialis nominum mentio facienda eſt.

Bonis omnibus ſimpliciter donatis futura nõ comprehendũtur.

§. XXVII.

Cautela pro donat. O. B. ut de ſuſcipiendo ære alieno paciſcatur.

In eo autem maximè cautus eſſe debet donator O. B. ut donationi pactum de ſuſcipiendo ære alieno adjiciat, hoc enim aliàs in donatarium non tranſit, per *L. 15. C. de donat.* quia actio perſonalis, quâ tenetur debitor, non comitatur poſſesſorem rei debitoris. *L. 1. §. 16. ff. ad SCt. Treb. L. f. §. 1. ff. de contr. emt. L. 25. pr. ff. de O. & A.* Quod ſecus ſi donantis bona pignoris jure creditoribus ante factam donationem devincta fuerint, hoc caſu enim creditores hypothecarii reali actione donatarium convenire poterunt. Illuſtr. Dn. Stryke *d. l. §. 8.*

§. XXVIII.

Donatio regulariter revocari nequit.

Donatio itaque hæc ſemel legitimè perfecta adeo firma illibataque manere debet, ut nec ſolâ pœnitentia, nec eo prætextu revocari posſit, quod donator dicat ſe in creditorum fraudem donaſſe, quia propriam turpitudinem alleganti minimè fides habenda eſt. *L. 3. 4. & ult. C. de rev. donat* Etenim jus donatario ſemel quæſitum, ipſi ſine causâ auferri non debet: ne quidem Principali auctoritate. *L. 5. C. eod.* Dantur tamen certi caſus, quibus donationes perfectæ, vel pro parte, vel in totum reſcinduntur, quos breviter recenſebimus.

§. XXIX.

Limit. (1)

Primus eſt, ſi donatarius contra donatorem ingratus efficia-

ciatur, hoc caſu enim in totum donationem revocari poſſe, conſtat ex *L. f. C. d. t.* Cum vero in *d. L. f.* quatuor ſaltem ingratitudinis cauſæ (quinta enim, quæ ibi habetur, ſi conditionibus adjectis donatarius non ſteterit, ad ingratitudinem propriè non pertinet) recenſeantur, quæritur an etiam ſimiles, æque & majores admittendæ ſint? Affirmat hoc ipſum Gloſſ. *in d. L. f.* ejusque rei Exemplum ponit in donatario O. B. donatori ad inopiam redacto alimenta denegante, quem injuriam non levem donatori inferre, adeoque ad reſtituenda bona donata obſtrictum eſſe aſſerit. Verum ſtante illâ Gloſſæ ſententiâ, admittendas eſſe cauſas ſimiles & majores, neceſſariò tamen illa ita limitanda erit, modo illæ cauſæ ſimiles & majores ſub expresſis *in d. L. f.* comprehendantur; Juris etenim noſtri aliàs firmisſimum principium eſt, Leges poenales, qualis eſt illa *L. f.* extendendas non eſſe. Unde ſimul patet exemplum à Gloſsâ allatum huc planè non quadrare; Quamvis enim non levem injuriam donatarius recuſando alimenta donatori inferre videatur, requiritur tamen in dict. *L. fin.* talis injuria quæ facto illata eſt. Atqui vero, qui alimenta denegat, non facit, ſed omittit & negligit quicquam. Hoc equidem concedendum eſt, honeſtè & ex officio boni viri facturum eſſe donatarium, ſi donatori egenti ſuccurrat, quod vero hac parte juris necesſitate ad id obſtrictus ſit, æquè à nobis concedi nequit, quia naturaliter ſaltem ad renumerandum obligatus eſt; *L. 25. §. 11. ff. de hered. per.* naturalis vero obligatio in foro civili actionem non parit. *L. 7. §. 5. ff. de pact.* Conf. Perez. *in C. tit. de revoc. don. n. 8.* Quamobrem neceſſariam pro donatore O. B. cautelam eſſe, ut ex Bonis donatis alimenta ſibi in caſum ſupervenientis inopiæ reſervet, tradit Illuſtris Dn. Stryke *tr. de Caut. Contr. S. 3. cap. 9. §. 8.*

ſi ingratus fuerit donatarius.

Donatarius O.B. ad alendum donatorē obſtrictus non eſt.

Hinc cautela ut alimenta ſibi reſervet donator.

§. XXX.

Secundus caſus, ubi donatio ſemel facta revocatur, eſt, quan- *Lim. (2)*

niſi inoffi-ciosa fue-rit dona-tio. quando liberos habens in alterum immenſam & inofficioſam contulit donationem, quæ Legitimæ liberorum præjudicium inferat. *L. 1. & t. t. C. de inoff. don.* Quo caſu ſi re tantum inofficioſa fuerit donatio, usque ad legitimam ſaltem revocabitur: ſin autem inofficioſa ſit re & conſilio donatoris fraudulento, ſecundum Bartol. *in d. L. 1. C. de inoff. don. columm. 2. & DD. Comm.* diſtinguendum erit, utrum facta fuerit alteri filio vel deſcendenti? & revocabitur tantum usque ad Legitimam; an vero extraneo? & tunc in totum revocabitur. conf. Matth. de Afflictis *tr. de Jur. prot. fol. 5. n. 21.* Quamvis, cum hæc diſtinctio expreſsè *in d. L. 1. in verbis. ſive in quosdam liberos, ſive in extraneos &c. C. de inoff. don.* rejiciatur, veriorem putem Perezii *in C. d. t. n. 5.* ſententiam, diſtinguentis: an donatio re & conſilio tota inofficioſa ſit? i. e. omnibus Bonis donatis nihil plane conquerenti relictum fuerit; an vero non in totum inofficioſa ſit, ſed portio quædam, quæ tamen infra Legitimam eſt, querulanti reſervata fuerit? Priori caſu in totum; poſteriori vero tantum, quatenus inofficioſa eſt, ſc. usque ad Legitimæ ſupplementum, revocari eam poſſe exiſtimat.

§. XXXI.

Lim. (2) niſi liberi poſt dona-tionem fa-ctam ſu-perveniãt. Sequitur denique tertius revocandi donationem perfectam caſus, quando videl. liberis deſtitutus alteri Bona ſua omnia, vel majorem eorum partem donavit, & poſtea liberos ſuſcepit; quo caſu ipſo jure donatio ad donatorem revertitur, per famoſam *L. ſi unquam. 8. C. de revoc. donat.* quam integro tractatu illuſtravit Andr. Tiraquellus *Curiæ Pariſienſis quondam ſenator celeberrimus.* Et licet multi hanc L. ad ſolum Patronum reſtringant, ex eo quod deciſio ejus nova ſit, & jus ſingulare contineat. vid. Vinn. *ad §. 2. I. de donat. n. 7.* Gerhard. *quæſt. illuſtr. Ex. 3. qu. 26.* Contraria tamen ſententia verior & communis eſt, quam multis rationibus defendit laudatus Tiraquell. *ad d. L. 8. in præfat. n. 123. & ſeqq.* hac præcipuè ratio-

ratione utens, quod ex præſumtâ donantis mente hæc donatio tacitam habere videatur conditionem, *ſi liberi naſcantur*, cum veroſimile ſit, neminem donaturum fuiſſe, ſi de liberis aut uxore ducendâ cogitaſſet; Unusquisque enim præſumitur propriis potius liberis, quam aliis favere, ſuumque proprium ſanguinem extraneo anteponere, *arg. L. cum avus 102. ff. de cond. & dem.* quæ ratio cum non tantum in patrono donante, ſed & aliis æque locum habeat, idem quoque in iis jus ſtatuere neceſſe eſt.

§. XXXII.

Non opus eſt ut plures liberi naſcantur.

Ut vero plures liberi naſcantur præcisè non requiritur, cum etiam unicus liberorum appellatione contineatur. *L. 148. ff. de V. S.* Tiraq. *in Gloſſ. ſuſceperit liberos n. 241. & ſeqq.* Imò etiam Legitimati per ſubſequens matrimonium & Reſcriptum Principis, ſi conſenſu patris Legitimatio hæc facta fuerit, donationem hancce revocari faciunt. Wiſſenb. *ad ff. Vol. 2. D. 16. θ. 14.* Quod ſecus in filiis naturalibus ex concubinâ natis, & ſpuriis, utpote in quos talismodi affectus minime cadit. Hos tamen reſpectu matris donatricis revocationem cauſare, ſi poſt donationem nati fuerint, quia tales liberi matri ſuccedunt, & contra teſtamentum ejus querelam movent, in caſu *L. pen. C. ad SCt. Orphit.* aſſerit Perez. *in C. tit. de revoc. don. n. 15.*

§. XXXIII.

Qu. an feudum ob ſupervenient. liberorum revocari poſſit?

Utrum vero etiam Dominus feudi ob ſupervenientiam liberorum feudum ex *b. l.* revocare poſſit? disquiri meretur. Affirmandum hoc videbatur ex illa ratione, quod feudum ſit donatio quædam, cum paſſim in Jure feudali *BENEFICIUM*, item *BENEVOLA ACTIO* vocetur. Sed Reſp. feudum non eſſe donationem ſimplicem, verum ob cauſam factam, ſc. ob merita præcedentia & futura ſervitia, adeoque revocationem ex *b. L.* ceſſare, cum hic pura & ſimplex donatio requiratur, ſicuti hoc latius probavit Tiraq. *d. tr. Gloſſ. donatione largitus*

n. 335.

n. 335. Pariter & ſi bona nondum quæſita quis repudiaverit, ut hereditatem, Legatum, vel fideicommiſſum ſibi relictum, locum ſibi revocatio non vindicabit, quia bona propria & realiter acquiſita donata eſſe debent. Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 4. n. 14.*

§. XXXIV.

In quantum donatio revocetur.

Atque hæc quidem donatio per liberorum ſupervenientiam rupta, ſi in extraneum collata fuerit, in totum revocatur, per *d. l. 8.* Quod ſi vero patri vel aſcendenti facta, revocationi tantum usque ad Legitimam locus eſt. Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 4. n. 11.* ubi idem ad Eccleſiam monaſterium, vel alium pium locum applicat quia Eccleſia loco filii habetur, & proinde donatio huic facta non in plus revocanda erit, quam ſi filio facta eſſet. conf. Perez. *in C. d. t. n. 21.*

§. XXXV.

Liberis vivo donatore defunctis, an donatio reconvaleſcat?

Sed quid ſi liberi poſtea nati vivo adhuc donatore deceſſerint, Qv. an hæc donatio O. B. reconvaleſcat & confirmetur? negandum hoc regulariter cum Bartolo *in L. 87. §. 1. ff. de Leg. 2.* quia per nativitatem liberorum ipſo jure reſcinditur. arg. *L. 8. C. de rev. don.* quod autem ſemel extinctum eſt, amplius non reviviſcit. *L. 98. §. 8. ff. de ſolut.* conf. Perez. *in C. d. t. n. 30.* Quod ſi tamen donator poſt mortem liberorum re donatâ donatarium frui adhuc patiatur, ac per tantum temporis ſpatium ſupervixerit, quo veriſimiliter, ſi voluiſſet, donationem revocare potuiſſet, neque hoc fecerit, tunc tacitè donationem confirmaſſe præſumitur. Gomez. *d. l. n. 12.* Neque obſt. ratio ex cit. *l. 98. §. 8.* adducta, quia donatio non abſolutè nulla, ſed in favorem tantum donatoris ejusque liberorum. Mortuis itaq; liberis liberum erit donatori, an jure ſuo uti velit, nec ne? B. Dn. Brunn. *Cent. 4. Dec. 58. n. 3.*

§. XXXVI.

An benefi-

Ultimo loco Qv. an huic beneficio pater renunciare poſſit?

ſit ? negativam tuentur Gail. *1. Obſ. 40. n. 13.* Mynſ. *Cent. 5. obſ. 63.* Affirmativa tamen verior, quia ſi pater liberis jam natis ad Legitimam usque præjudicare poteſt donando, cur non idem ipſi licebit, quoad liberos naſcituros, ſi modo & his Legitima intacta maneat. Illuſtris Dn. Stryke. *tr. de Caut. Contr. Sect. 2. cap. 9. §. 7.* Hoc enim certum, patrem hac ſuâ renunciatione Juri liberorum officere non poſſe, quo minus hi patre defuncto donationem ut inofficioſam impugnare, & ſic eam, non quidem in totum, bene tamen ad Legitimam usque, revocare valeant. vid. Gomez. *d. cap. 4. n. 11. in fin.*

cio L. 8. C. de Rev. don. *pater renunciare queat.*

§. XXXVII.

De ludo, & an licitus ſit ludus ?

Donationibus affinis eſt materia Ludorum, de quâ pauca quoque ſubjicere lubet. Diſcutienda autem prius eſt præjudicialis illa quæſtio: utrum ſc. Ludus (mixtus videl. & fortunæ, de eo enim tantum in præſenti acturi ſumus) licitus ſit, nec ne ? Et quidem Jure Civili Rom. hunc ludum prohibitum eſſe patet, ex *t. t. ff. & C. de Aleat.* ſub aleæ enim luſu Jura Civilia omnem fortunæ luſum intellectum volunt. Dn. Brunn. *ad L. 3. C. de aleat.* Et res ludicræ, ſacræ i. e. excrabiles dicuntur, *in L. f. C. eod.* Quod ſi verò in ſe & abſtractivè ludum conſideremus, nihil injuſtitiæ ſubeſſe videtur, modò requiſita illa adſint, quæ communiter â DD. exiguntur, de quibus vide Zoeſ. *ad ff. tit. de aleat. n. 1.* Si enim donare alteri pro lubitu Bona ſua permiſſum eſt, cur non etiam ea ſub certâ, honeſtâ tamen & licitâ conditione, ut habeat illa, qui victor abibit, deponere licebit, cum quilibet rerum ſuarum moderator ſit ac arbiter *L. 21. C. mand.* nec quicquam naturali æquitati convenientius videatur, quam voluntatem Domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi *L. 9. §. 3. ff. de A. R. D.* Cui ſententiæ præter alios ſubſcribunt B. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 15. θ. 56.* Ludov. Molin. *de J. & J. tract. 2. diſp. 510. n. 3.* Leſſius *de J. & J. L. 2. c. 26. dub. 2. & ſeqq.* Quo præſuppoſito ita dicendum exiſtimamus: Quo-

uſque donare alteri conceſſum eſt, couſque etiam ludendo perdere ipſi licebit. Cum itaque ex ſuperius adductis conſtet, etiam OMNIA BONA donari poſſe, ſi liberis ſalva illibataque maneat legitima; Idem quoque de ludo aſſerere non dubitamus; Ita ut in quantum inofficioſam patris donationem revocare poſſunt liberi, in tantum etiam ipſis competat facultas repetendi ea, quæ ludo â patre deperdita fuerunt; videl. ut ſalvam habeant Legitimam. Tiraq. *de LL. connub. voc. contractus Gloſſ. 5. n. 81.* Caccialupus *tr. de Ludo n. 81.* Farin. *oper. crim. p. 3. qu. 109. n. 187.*

Etiã O.B. ludo perdere licet.

§. XXXVIII.

Qv. an ludo perdita pecunia ſupra mille, thal. inſinuari debeat?

Sed quid ſi ſupra mille thaleros ludo quis perdiderit, an non poterit id, quod ſummam mille thalerorum excedit, exemplo donationis non inſinuatæ, repetere? Negandum hoc exiſtimo, quia non ſimplici, ſed remuneratoriæ donationi ludus ſimilis videtur, cum uterque fortunæ periculo ſe ſubjiciat; Jam vero remuneratoria donatio inſinuatione non indiget, quia ſe habet per modum tituli oneroſi. vid. Brunn. *in R. P. W. tit. de donat. qu. 21.* Quod multo magis obtinebit, ſi ſummam illam non continuo actu, ſed diverſo tempore perdiderit, **wenn er es nicht auff einen Sitz verſpielet hat.**

§. XXXIX.

Qv. an ludo perdẽti Competentiæ beneficium competat.

Utrum vero Omnia Bona ludo perdenti, perinde ut donatori O. B. Competentiæ beneficium competat? dubium eſt, ex illâ ratione, quod delinquenti beneficium hocce non conceditur. *L. 4. §. 1. & 2. ff. ad SCt. Maced.* Atqui vero ludens delinquit, cum ludus Jure noſtro prohibitus ſit. Ergo. Verum Reſp. non loquor de Jure Civili, ſed Jure Gentium & moribus, ubi, poſtquam hodie ludendi licentiam magnam eſſe quotidiana experientia teſtatur, Vid. Rauchbar. *L. 2. pract. quæſt. qu. 25.* & Petr. Heig. *L. 2. qu. 10.* non denegandum ipſi videtur dictum

ctum beneficium, quam ſententiam confirmat Illuſtr. Dn. Stryke *in dict. ad Brunn. R. P. W. tit. de aleat. qu. 4.*

§. XL.

Cautela pro ludo perdente O. B.

Denique non prætereunda eſt cautela illa, quam commendat Coëpolla *caut. 55.* ut ſc. ille, qui Bona omnia, vel partem eorum ludo perdidit, ad ludendum iterum eat cum illo, qui vicit, & ſurripiat, ſi poteſt, etiam furto, illud, quod perdidit vel aliquid de bonis vincentis dum eſt in ludo, & iſto modo propriâ auctoritate ſibi ſatisfaciat, tunc enim ſecurum eſſe, inquit, ſurripientem, quia non poterit conveniri ab illo, cui ſurripuit, cum actio ipſi non competat, per *L. ſ. in pr. ff. de aleat.* conf. Berlich. *p. 5. concl. 51. ibique cit. DD.* Verum præterquam, quod de hac, ut & coëteris hujusmodi farinæ cautelis, vulgatum illud DD. aſſertum locum ſibi vindicet: cautelas in hac vitâ ad honorem prodeſſe, in aliâ ad Gehennam ædificare, ſicuti ex Chartario notat Brunnem. *in Proceſſ. Inq. cap. 8. membr. 1. n. 57.* conf. Oldek. *tit. 1. obſ. 11. n. 4.* nec magnopere etiam fidendum huic cautelæ videtur, cum timendum ſit, ne ludo vincens, victor etiam manibus & pugnis exiſtat, atque ita is, qui pecuniam perdidit, ſimul in ære & corpore luere cogatur.

Notatur illa cautela.

§. XLI.

Ad ſucceſſionis materiam nunc tranſeundum eſſet; verum cum illa ſeparato capite tractanda ſit, miſſâ illâ, ad contractus progredimur. Sunt vero contractus vel reales, vel verbales, vel literales, vel conſenſuales. Ex realibus & conſenſualibus quosdam adducemus, eaque, quæ argumento noſtro inſervire videbuntur, breviter annotabimus. Primo itaque loco nobis erit depoſiti contractus, cujus Objectum BONA OMNIA, quæ in commercio exiſtunt, cuſtodiamque recipiunt, conſtituunt. Hoc ipſum tamen de Bonis mobilibus ſaltem ac ſe moventibus intellectum velim; Immobilia enim, licet

De Depoſito.

Immobilia

deponi nequeunt. ſicet cuſtodiam etiam recipiant, deponi tamen non poſſe, communiter receptum eſt, cum alia ſit cuſtodia rei, quæ videl. auferri poteſt, alia cuſtodia circa rem, quæ in mandati ſpeciem abit. *L. 5. §. 4. ff. de P. V.* Dn. Brunn. *Exerc. ad Inſt. 17. p. 150.* Wiſſenb. *ad ff. v. 1. D. 31. θ. 11.* Perez. *in C. tit. depoſ. n. 3.* Sutholt. *Diſſ. 12. θ. 54.* Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 21. θ. 35. & in Jpr. L. 2. t. 6. aph. 3.* *Obſt.* Obſtat tamen graviter huic ſententiæ communi, quod res Immobiles ſequeſtrari posſint, ſequeſtrum verò ſpecies ſit depoſiti, adeoque quoddam depoſitum rem immobilem admittat. Dn. Lauterb. *in Coll. Theor. pract. tit. depoſ. §. 10.* Goëdd. *Reſp.* *ad L. 110. ff. de V. S.* Cubach. *1. quæſt. illuſtr. 3.* Verum Reſp. negando de Jure Civili, de quo in præſenti ſermo mihi eſt, majorem propoſitionem, quod ſc. eo jure res immobiles ſequeſtrari posſint, & hoc quidem arg. *L. 5. C. quor. app. non recip.* Jure Can. enim poſſesſionum ſequeſtratio demum recepta *cap. 1. x. de ſequeſtr. poſſ.* & hinc etiam hoc jure res Immobiles in depoſitum cadere non negaverim. Vid. omnino Coll. Jur. Arg. *tit. depoſ. θ. 23.* Biccius *reb. quot. Sect. 4. §. 42.*

§. XLII.

Effectus quæſtionis. Effectus vero quæſtionis hujus in eo conſiſtit, ut conſtet, ad quam culpam obſtrictus ſit ille, qui curam rei Immobilis in ſe ſuſcepit; ſi enim mandatum eſt, ad levisſimam; ſin autem depoſitum, ad latam culpam tenebitur Illuſtr. Dn. Stryke *de Caut. contr. S. 2. c. 3. §. 6.* ut hinc ſententia Dn. Schragii *Introd. in ff. tit. depoſ. §. 5.* exiſtimantis, utilitatem hujus quæſtionis ſecundum eos, qui contractus innominatos b. f. faciunt omnes, exiguam vel nullam eſſe, aſſenſum non mereatur, cum firmâ manente iſtâ ſententiâ, quoad culpæ præſtationem, uti jam demonſtratum, multum adhuc interſit. Conf. Excellentiſſ. Dn. Berg. *in Reſ. LL. obſt. Lauterb. tit. depoſ. qu. 2.* Cœterum depoſitarium in re depoſitâ retentionem non habere, licet ipſi generaliter Omnia Bona deponentis, & ſic etiam res depoſita, hypo-

hypothecata fuerint, patet ex *L.p. C. depoſ.* quia hoc caſu ſemper res depoſita excepta videtur. Dn. Brunn. *in Comment. Cod. ad h. L.pen.n.5.*

§. XLIII.

De pignore.

Ad alterum contractum realem, Pignus videl. nunc deveniendum eſt. Eſt autem Pignus in generali ſignificatione jus in bonis debitoris creditori legitime conſtitutum in ſecuritatem crediti. Dn.Struv. *S.J.C.Ex.26. θ.3.* Et ratione Objecti vel generale, vel ſpeciale eſt. Illud (de ſpeciali quippe jam non erimus ſolliciti) ſub ſe comprehendit OMNIA debitoris BONA, tam mobilia, quam Immobilia: tam præſentia, quam futura & poſt pignus conſtitutum acquiſita, licet quis ſimpliciter tantum (quod tanquam ſingulare in hac materiâ notandum; contrarium enim in venditione, donatione, Legato &c. obtinet. Vid. Perez. *in C. tit. quæ res pign. obl.poſſ. n.14.*) Bona ſua hypothecæ ſuppoſuerit, aut promiſerit pecuniam acceptam ſe ſoluturum fide & periculo rerum ſuarum. *L.f. C. quæ res pign. obl.poſſ.* Ex quo patet, inter abundantes cautelas merito referendam eſſe illam, quâ nominatim & expreſsè Bona præſentia & futura, mobilia, Immobilia & Nomina obligantur, cum hæc omnia jam tum ſub generali hypothecâ ſubintelligantur. Neque etiam conſultum eſt, generali Bonorum hypothecæ ſola mobilia & Immobilia ſubjicere, cum ſic nomina, utpote quæ ſeparatam Bonorum ſpeciem conſtituunt, ſimul comprehenſa non cenſeantur. Illuſtris Dn. Stryke *de Caut. Contr. Sect. 2. cap. 4. §. 15.*

De pignore generali O. B.

§. XLIV.

Quænam I. ſub generali pignore non veniant?

Sub hac ipsâ tamen generali Bonorum Omnium hypothecâ primò non veniunt ea, quæ veriſimiliter eſt, quempiam ſpecialiter obligaturum non fuiſſe, vel propter uſum quotidianum, ut ſunt veſtes, ſuppellex &c. vel propter affectionem, ut ſi ancilla concubina ſit, liberi naturales &c. *L. 6. 7. & 8. ff. de*

de pign. & hypoth. cap. 81. de R. J. in 6to. Quod tamen de generali Bonorum hypothecâ conventionali intelligendum; obligatione enim generali tacitâ ea etiam contineri, quæ aliàs alienari vetantur, aſſerit Wiſſenb. *ad ff. Vol. 1. D. 39. θ. 6. in f.* Porrò, licet hæ res ſub generali obligatione non contineantur, ſpecialiter tamen eą obligari poſſe, nullum dubium eſt, ob *L. 1. C. quæ res pign. &c.*

§. XLV.

2. Secundò ſub hac obligatione generali non continentur Bona Omnia alienari prohibita, niſi ſpecialiter hypothecari conceſſa inveniantur. Sic prædium Emphyteuticum, licet Domino non denunciato vendi non poſſit *L. 3. C. de Jur. emph.* pignorari tamen poteſt. *L. 16. §. f. ff. de pign. act.* Pariter res Eccleſiæ Immobiles ſine certis ſolennibus, de quibus vid. Redoan. *tr. de reb. Eccl. non al.* alienari nequeunt, *cap. 5. x. de reb. Eccl. non al.* poſſunt tamen per generalem hypothecam ſine traditione ex Communi DD. opinione obligari, teſte Meiero *in C. J. A. tit. quæ res pign. obl. poſſ. θ. 2. n. 3.* Et viceversâ res aliena vendi poteſt. *L. 28. ff. de contr. emt.* Sed oppignorari nequit. *L. 20. pr. ff. de pign. act. L. 16. §. 7. ff. de pign. & hyp.* Planè feudum ſicuti ſine conſenſu Domini & Agnatorum alienari nequit, ita nec absque eo oppignorari poteſt; Mev. *p. 4. D. 321.* quod ultimum exemplum regulam noſtram ſuperius propoſitam optimè confirmat.

§. XLVI.

3. Et denique tertiò, quamvis quis generaliter O. ſua Bona pignori eſſe pactus ſit, non tamen cenſetur conveniſſe de his, quæ ab herede ejus demum acquiſita ſunt; vel certè effectum hoc pactum non habebit, cum illa neque in dominio neque in poſſesſione defuncti, ſed ſeparata penitus ab ejus Bonis fuerint. *L. 29. ff. de pign. & hyp.*

§. XLVII.

§. XLVII.

Utrum vero creditori utilior ſit hypotheca generalis, quam ſpecialis? disquiſitione dignum eſt. Prior in eo utilior videtur, quod in creditoris arbitrio hic ſit, qualemcunque rem eligere, ac, ut in eam executio fiat, petere malit, etiamſi res illa poſtea ſpecialiter alteri obligata ſit. *L. 2. pr. ff. qui pot. in pign.* Wiſſenb. *ad ff. V. 1. D. 40. th. 7.* Perez. *in C. tit. qui pot. in pign. n. 7.* Quod ſecus in ſpeciali hypothecâ, ubi creditor rei, ſpecialiter ſibi oppignoratæ, præciſè inſiſtere tenetur, licet illa ad debiti ſolutionẽ non ſufficiat. In eo autem poſterior priori prævalere videtur, quod hic, re oppignoratâ alteri venditâ, creditori, non excuſſo prius debitore, adverſus emtorem, vel alium pignoris poſſeſſorem, actio realis ad rem repetendam competat. *Nov, 122. cap. 1.* In generali autem hypothecâ, ante excuſſum debitorem, poſſeſſor rei generaliter obligatæ conveniri nequeat. *Nov. 4. cap. 2.* Cum itaque utraque hypotheca ſua habeat commoda & incommoda, conſultius aget creditor, ſi hypothecam generalem & ſpecialem conjungi curet, ſubjectâ clauſulâ: *ſalvo tamen Jure variandi*; conf. omnino Illuſtris Dn. Stryke *d. cap. 4. §. 16. & 17.*

Qo. an hypotheca ſpecialis, an vero generalis utilior ſit?

§. XLVIII.

Cœterum ſi duobus quis diverſis temporibus Bona ſua omnia obligaverit, ſine dubio poſteriori prior præferendus erit; *L. ſ. ff. qui pot. in pign.* Sin autem eodem tempore obligatio facta ſit, in pignore concurrunt, & ſimul admittuntur. *L. 7. §. 1. ff. eod.* Sed quid ſi uterque ſpecialem habeat hypothecam, & prioris hypothecæ ſubdita ſit generalis, cum conditione (quæ, licet non expreſſa, tacitè ſubintelligitur) quod ſi ex rebus ſpecialiter obligatis pecuniam ſuam conſequi non poſſit, tum cœtera quoque Bona præſentia & futura perſequeretur? Et ſtricto quidem jure dicendum videtur, indiſtinctè hoc caſu primum ſecundo præferendum eſſe, per cit. *L. ſ.* Verum ex æquo

Quid ſi duobus bona quis obligaverit?

& bono diſtinguendum eſt, juxta diſpoſitionem *L. 2. C. de pign. & hyp.* an res ſpecialiter priori obligata ad debiti ſolutionem ſufficiat, nec ne? ſin prius, creditor prior in qualicunque debitoris re pro lubitu executionem petere nequit, ſed rei, ſpecialiter ſibi obligatæ, præciſè inſiſtere tenetur; Cum enim ex hac ſuum conſequi poſſit, non debet cum injuriâ & damno creditoris ſecundi res illi obligatas vendere, ſed compellendus eſt ad id, quod ſibi non nocet, alteri vero prodeſt, per *L. 2. §. 6 ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Sin autem poſterius; tunc in re poſteriori ſpecialiter obligatâ potior erit. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 26. th. 32.* Perez. *in C. tit. qui pot. in pign. n. 8.* De coëtero ſi creditor, qui in ſpeciali hypothecâ prior, in generali verò ſpeciali ſubditâ poſterior eſt, res ſibi ſpecialiter & generaliter obligatas vendiderit, actio hypothecaria adverſus emtorem creditori ſecundo, qui generalem habet hypothecam anteriorem, ad res alienatas repetendas, dabitur. Meier. *in C. J. A. tit. ſi antiq. cred. pign. vend.*

§. XLIX.

Unicum adhuc circa hanc materiam notabile reſtat, quod paucis tangendum. Notum quippè eſt, hypothecam generalem res debitoris ſingulas ita afficere, ut alienari eæ quidem poſſint, ſed ſalvo ſemper creditori pignoris jure; *L. 2. ff. qui pot. in pign. L. 6. C. eod.* Niſi hic ſpecialiter in pignoris alienationem conſenſerit, vel ratam eam habuerit. *L. 2. & 4. C. de remiſſ. pign.* Ponamus itaque rem oppignoratam generaliter cum conſenſu creditoris venditam eſſe, & poſtea debitorem eandem rem modo legitimo rurſus acquiſiviſſe; Qv. utrum hæc res in pignoris cauſam recidat, ac generali hypothecâ comprehendatur? Affirmandum hoc primâ fronte videbatur, ex eo, quod generalis O. B. hypotheca bona, tam præſentia, quam futura & poſtea acquiſita, complectatur; *L. f. C. quæ res pign. obl. poſſ.* Jam verò res ad debitorem reverſa, utique

Res pignorata conſentiente creditore alienata in pignoris cauſam nō recidit.

Bonis

Bonis ejus poſtea acquiſitis annumeranda eſt. Ergo. Verum, non obſtante hac ratione, Imp. Juſtinianus *in L. ult. C. de remiſſ. pign.* expreſsè decidit, eam rem pignoris jure peti non poſſe, cum per expreſſam & ſpecialem juris renunciationem hypothecæ generali, quoad hanc rem, derogatum fuerit. Conf. *cap. 34. de R. J. in 6to. & L. 158. ff. eod.* Limitanda tamen hæc deciſio, modò res illa, in cujus diſtractionem creditor conſenſit, ex novâ causâ ad debitorem redeat. Quod ſi enim ex eadem vel connexâ causâ ad eundem revertatur; v.g. ex pacto retrovenditionis, addictionis in diem, vel Legis Commiſſoriæ, tunc quoque creditori ſalvum pignoris jus manebit, per *L. 10. pr. ff. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.* Conf. Dn. Brunn. *ad d. L. f. C. de remiſſ. pign. n. 3. & 4.* *Limit.*

§. L.

Ad conſenſuales contractus nunc deveniendum, quorum primus eſt Emtio venditio, de quâ pauca notanda occurrunt, quæ ad præſentem materiam faciant. Illud enim certũ eſt Omnium rerum, quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt, venditionem rectè fieri, tradente JCto Paulo, in *L. 34. §. 1. ff. de contr. emt.* Breviter: Omnium rerum, quæ in commercio ſunt, etiam hereditatis, de quâ eſt *tot. tit. ff. & Cod. de hered. vel act. vend.* & rei alienæ. *L. 28. ff. d. t. de contr. emt. & L. 11. §. 8. ff. de act. emt.* Conf. Dn. Struv. *Ex. 23. th. 26.* Franzk. *tit. ff. de contr. Emt. n. 98.* Meier. *in C. J. A. eod. tit. th. 67.* In ſpecie vero OMNIA BONA, tam præſentia quam futura validisſimè vendi poſſe, quia nulla ratio adeſt vel cauſa, quæ talem venditionem impediat, aſſerit Bartol. *in L. 61. ff. de V. O. & L. f. C. de pact. cum DD. Comm.* Quamvis enim libera teſtandi facultas per ejusmodi venditionem tolli videatur, cum nulla amplius Bona ſuperſint, de quibus teſtamentum fieri queat; pretium tamen ex venditione redactum rerum loco ſuccedet, atque de eo vendens diſponere pro lubitũ poterit. Hoc

De Objecto emt. Vend.

Omnia Bona vendi poſſunt.

autem

autem probè notandum, Omnibus Bonis ſimpliciter venditis, præſentia tantum, non futura, vendita cenſeri, cum hæc nemo vendere velle præſumatur, niſi expreſsè voluntatem ſuam declaraverit. *arg. L. 7. ff. de aur. & arg. leg.* ibique Bartol. & DD. Commun. Neque contrariatur huic aſſertioni, quod in hypothecâ Bonorum ſimpliciter & generaliter factâ comprehendantur Bona tam præſentia, quam futura, ut ſupra dictum. Etenim maxima, inter Bonorum venditionem & hypothecam Bonorum, differentia intercedit, cum hic de nullo aut parvo præjudicio debitoris agatur, quia ſoluto debito Omnia Bona liberantur; Venditis autem ſemel legitimè Bonis nulla recuperatio ſperanda eſt.

§. LI.

Emtor O. B. æs alienum venditoris exſolvere nõ tenetur.

Numne verò ad æs alienum venditoris exſolvendum hoc caſu emtor O. B. tenebitur? Negativa de Jure noſtro veriſſima eſt, per *L. 15. C. de donat. junct. L. 25. pr. ff. de O. & A.* Sed quid ſi certo in loco ſtatuto diſpoſitum reperiatur, ut emens O. B. æri alieno venditoris obnoxius fiat, quomodo conſulendum erit emtori, ne æri alieno ſubjiciatur? Et notabilem hoc caſu cautelam tradit Bartol. *ad L. 10. ff. de pecul. leg.* ut ſc. emtor non univerſim ſive averſione, ſed ſingulariter Bona alterius ſibi comparet; Ita enim contra ſtatutum non peccabit, cum hoc de bonis per averſionem non ſigillatim emtis loquatur.

Cautela pro emtore O.B.

§. LII.

De Retractu.

Ad venditionis materiam pertinet etiam materia Retractus, qui vel conventionalis eſt, vel Legalis. De utroque in præſenti materiâ plura adferri poſſent, ſi prolixiores eſſe vellemus; hinc pauca ſaltem annotabimus, quæ argumento noſtro inſervire videbuntur. Quod itaque retractum conventionalem (qui communiter ferè cum jure protimiſeos confunditur, cum tamen hæc ipſa accuratè loquendo magnopere

Conventionali.

inter ſe differant. Vid. Illuſtr. Dn. Stryke *in Exam. Jur. Feud. cap. 20. qu. 3. & ſeqq.*) concernit, non dubitamus, poſſe vendentem OMNIA BONA tale venditioni pactum adjicere, ut, ſi emtor Bona illa venditurus iterum ſit, eodem pretio, quod alius ſolveret, retrahere ſibi ea liceret.

§. LIII.

Legali.

In ſpecie vero de Legali retractu notandum, quod ſit jus, ſingulari Legis vel conſuetudinis diſpoſitione certis perſonis tributum; idque vel propter dominium directum, vel propter creditum, vel propter civitatem, vel propter conſanguinitatem &c. Ratione crediti, ſi BONA OMNIA publicè ſub haſta vendantur, pluresque Licitatores adſint, extraneis emtoribus creditores, ac inter hos eum, cui major ſumma debetur, potiorem eſſe, cautum Jure Juſtinianeo reperitur, *in L. cum Bona 16. ff. de reb. auct. jud. poſſ.* Sed quid ſi inter creditores ſit, qui ſimul ſanguine debitori junctus? Reſp. hunc omnibus aliis creditoribus præferendum eſſe. Berlich. *p. 2. D. 30. n. 11. & ſeq.* Sicuti & creditor tantùm, præfertur tantum cognato. Salgado *in Labyrinth. p. 2. cap. 2. n. 14.* Aliàs verò ſi cum extraneis emtoribus, in publicâ BONORUM OMNIUM debitoris venditione, conſanguinei concurrant, & æque idonei ſint, hi indiſtinctè Jure retractus gentilitii illis præferendi, ſive creditores debitoris ſint, ſive non. *L. 60. ff. de pact. & d. L. 16. ff. de bon. auct. jud. poſſ.* modo Bona plus licitanti addicta nondum fuerint, ſed conſanguineus ſtatim, poſt licitationem ab extraneo factam, idem pretium offerat; Bonis enim ſemel Judicis decreto plus licitanti addictis, conſanguineus excluditur, quia voluntatem ſuam, Bonis omnibus publicè & judiciali auctoritate venum expoſitis, non declarando; Juri ſuo renunciaſſe cenſetur. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 23. th. 61.*

Et quidem ratione crediti.

Vel ratione ſanguinis.

§. LIV.

Quid ſi

An autem hic retractus Gentilitius eo caſu etiam locum habe-

B. O. venditis, ſub iis quedã ſolum avita continentur.

habeat, ſi BONA OMNIA quis alteri vendiderit, ſub quibus quædam ſolum Bona avita comprehenduntur? magis controverſum eſt; In quâ quæſtione decidendâ diſtinctè procedendum videtur: Aut enim conſanguineus hoc caſu Bona omnia retrahere cupit: aut, prætermiſſis reliquis, ſola avita. Priori caſu retractum locum non habere certiſſimum eſt, quia abſurdum eſſet, conſanguineum compellere poſſe venditorem, ut O. B. ſibi vendat, cum è contrario hic conſanguineum cogere nequeat, ut O. B. ratione Juris protimiſeos, ipſi in Bonis certis avitis, ſimul cum Bonis Omnibus venditis, competentis, emat. Poſteriori caſu verò retractum obtinere, aſſerit Matth. de Afflictis *tr. de Jur. prot. fol. m. 51. n. 27. & 28.* ex eo, quod Judex hic, deductâ æſtimatione aliarum rerum, avitorum Bonorum, quæ revocare vult conſanguineus, æſtimationem facere poſſit. Verum cum definitio hujus pretii difficilis admodum ſit, & facilè contingere poſſit, emtorem, ademtis Bonis avitis, reliqua retinere nolle, nec venditorem avita ſola vendere velle, adeoque effectum jus retractus habere nequeat, contrariam ſententiam, ut veriorem, amplectimur Struv. *in Jurispr. L. 3. tit. 11. th. 34.*

§. LV.

De ſocietate univerſali, & quotuplex ſit hæc ſocietas.

Venditionem excipit Locatio conductio. Verum cum hic nihil occurrat, quod notari mereatur, ad ſocietatem nos convertimus. Eſſe autem ſocietatem aliam particularem, aliam univerſalem, & hanc iterum, vel in ſpecie Omnium Bonorum, vel Bonorum ſimpliciter, ſive ut alii loqui amant, vel ſpecialiter O. B. vel indefinitam Bonorum, patet ex *L. 3. §. 1. & L. 7. ff. pro ſoc.* In illam veniunt Omnia Bona, quocunque titulo honeſto, etiam lucrativo, quæſita, ut hæreditates, Legata, donationes &c. *L. 3. §. 1. & L. 73. pr. ff. d. t.* Card. Mant. *de tacit. & amb. convent. Lib. 6. tit. 15.* Feuda quoque & Bona fideicommiſſariæ reſtitutioni obnoxia, ſed tantum quoad fructus.

ctus. Wiſſenb. *V. 1. D. 32. th. 23.* Struv. *Ex. 22. th. 26.* Non vero illa, quæ ex prohibitis cauſis, furto videl. vel maleficio alio, vel uſurariâ pravitate, acceſſerunt, *L. 53. cum. ſeqq. ff. pro ſoc.* quia delictorum foeda communio, & rerum inhoneſtarum nulla ſocietas eſt. Hæc ipſa tamen turpiter quæſita, ſi ſpontè in ſocietatem illata fuerint, communia quidem fiunt, verum damnato poſtea ſocio conferenti reſtituenda ſunt. *L. 54. ff. eod.* Et ſi conſcio altero ſocio collatio facta fuerit, pœna quoque furti â totâ ſocietate peti poterit, cum æquisſimum ſit, ut ſocius, qui participavit lucrum, participet & damnum, per *L. 55. ff. d. t.* ibique Brunn. Conf. Struv. *S. J. C. Ex. 22. th. 26. in f.*

§. LVI.

In ſocietatem O. B. veniunt etiam damna & expenſa.

Quemadmodum autem omnia lucra hic communia fiunt, ita quoque, ex naturâ contrariorum, quia ibi æquale debet eſſe incommodum, ubi æquale commodum eſt, ſumtus, quos partim neceſſitas, partim æquitas ac honeſtas exigit, huic totorum Bonorum ſocietati imputantur: veluti ſumtus in ſtudium filii, *arg. L. 73. ff. pro. ſoc.* vel in dotem filiæ facti. *arg. L. 52. §. f. eod. & l. 19. ff. de R. N.* Conf. Mejer. *in C. J. A. tit. ff. pro ſoc. th. 25. n. 7.* Quod ampliatur, licet alter ſocius nullos liberos habeat, ſibi enim imputet, quod talem ſocietatem inierit, vel in eâ perſtiterit, ubi, propter incertos acquiſitionis & erogationis eventus, inæqualitas non conſideratur. Illuſtris Dn. Stryke *in Caut. Contr. Sect. 2. cap. 10. §. 19.* Nec quoad ſumtos ſtudiorum diſtinguimus, cum Donell. *ad Rubr. C. pro ſoc. n. 18.* an ante, an vero poſt ſocietatem initam ſtudiis deſtinatus fuerit filius? cum generalitas textus *in d. L. 73. §. 1.* huic diſtinctioni reſiſtat. Conf. Kremberg. *de ſumt. ſtud. qu. 1. n. 119. & ſeqq.* Neque quoad ſumtus dotis obſtat *L. 81. ff. pro ſoc.* ubi diſertè exprimitur, ita demum â patre conſtitutam filiæ dotem de medio ſumi, ſi ita convenerit. Ergo ceſſante pacto, ſecus

erit.

erit. Zœſ. *tit. pro ſoc. n. 45.* Reſpond. enim, agi ibi, non de Omnium Bonorum, ſed de quovis alio ſocio. Vid. omnino Bach. *ad Tr. V. 1. D. 27. lit. H.* Fachin. *L. 8. contr. cap. 4. & Lib. 12. cap. 13.* Vinnius *ad pr. J. de ſociet.* Denique etiam, quod ſocius aleâ perdidit, certo caſu huic univerſarum fortunarum ſocietati imputandum eſſe, credimus cum Illuſtr. Dn. Strykio. *d. l. §. 22. in f.*

§. LVII.

Quænam veniant in ſocietatem Bonorum ſimpliciter.

Societas verò Bonorum ſimpliciter illa tantum continet, quæ ex contractu, ſive titulo oneroſo acquiſita; *L. 7. & ſeqq. ff. pro ſoc.* Hector Felic. *tr. de ſociet. cap. 13. n. 5. & ſeqq.* non vero hereditates, Legata & donationes. Quod ſi tamen ſocii tales nominatim, de communicandâ hereditate, in poſterum obventurâ, inter ſe paciſcantur, tunc Legitima ſaltem, non ex teſtamento delata communicabitur. *L. 3. §. 2. ff. eod.* Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 5. n. 4. in f.* Conf. B. Brunnem. *in Comm. ad L. 1. ff. d. t. n. 5.* ubi *n. 6.* ad obſt. *L. 130. ff. de V. S.* reſpondet. Unde apparet, ad univerſalem ſocietatem non ſufficere Omnium Bonorum collationem, ſed in ſpecie id agi debere, ut bona, quocunque titulo quæſita, communia ſint, cum in dubio potius ſocietas ſimpliciter Bonorum, quam O. B. in ſpecie, contracta cenſeatur. *L. 7. ff. pro ſoc.* Illuſtris Dn. Stryke *d. l. §. 3.*

§. LVIII.

Societas univerſalis indiſtinctè tacito conſenſu iniri poteſt.

Indefinitam Bonorum ſocietatem etiam tacitâ, Omnium verò Bonorum in ſpecie, non niſi expreſſâ conventione contrahi poſſe, aſſerunt Franzk. *tit. ff. pro ſoc. n. 25. & ſeqq.* Carpzov. *p. 3. C. 15. D. 45.* Eckolt. *tit. pro ſoc. §. 3.* Melerus *in C. J. A. eod. tit. th. 9. n. 2.* ex ratione, quod *in L. 3. §. 1. ff. d. t.* diſertè requiratur, hanc debere eſſe ſpecialiter O. B. quod tacito conſenſu explicari commodè, *ut putant*, nequit. Verùm ſi tria illa requiſita, tradita ex Mantica à Dn. Lauterb. *in Coll.*

Theor. Pract. tit. pro ſoc. §. 7. ſc. (1) cohabitatio (2) communicatio rerum quocunque titulo obvenientium & (3) nulla rationum redditio, concurrant, non video, quare non æque O.B. ſocietas, in ſpecie ſic dicta, tacitè contrahi poſſit, cum factis conſenſus ſatis expreſsè declaretur, imò plus ponderis habere dicantur, ad declarandum conſenſum, facta, quam verba. *L. 48. §. 3. ff. de ædil. edict. L. f. C. quæ res pign.* Brunn. *ad L. 4. ff. pro ſoc. n. 3. & ſeq.* Atque hanc ſententiam communiter receptam eſſe, teſtatur Lauterb. *d. l.*

§. LIX.

Differentia inter ſocietatem O. B. ſpecialiter, & bonorum indefinitam.

Illa vero differentia, inter O. B. ſpecialiter, & indefinitam Bonorum ſocietatem, certior eſt ac manifeſtior, quod ſc. in illâ omnia bona præſentia, i. e. quæ tunc ſunt coëuntium, cum ſocietatem contrahunt, continuo, ſine verâ traditione communicentur. *L. 1. §. 1. & L. 2. ff. pro ſoc.* Atque poſſeſſio quoque, quamvis alias ſine apprehenſione non acquiratur, tamen & hoc caſu per tacitum poſſeſſorium conſtitutum in alterum ſocium, dum ejus & meo nomine nunc poſſideo, quod antea meo nomine in ſolidum poſſidebam, translata cenſeatur. *arg. L. 18. pr. ff. de acq. poſſ.* Tiraq. *de Jur. Conſt. poſſ. p. 2. ampl. 32. n. 6.* Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 5. n. 3.* In hac autem Bonorum ſimpliciter ſocietate, præter illa bona, quæ actualiter conferuntur, nulla præſentia, ſed futura ſaltem, ſive lucra, poſtea ex operâ & negotiatione cujusque ſocii acquiſita, communia fiant. Vinn. *ad pr. J. de ſociet.* Brunn. *ad L. 1. ff. pro ſoc. n. 9. & ſeqq.* Planè Incorporalia ſive ea, quæ in nominibus conſiſtunt, nec in univerſarum fortunarum ſocietate ipſo jure tranſeunt, ſed ceſſione indigent, cùm perſonæ cohæreant, eamque non niſi per delegationem egrediantur. *L. 3. ff. pro ſoc.* ibique Buſ. Quod & verum eſt in iis Bonis, quæ poſtea obveniunt, quippè quæ ſocietatis judicio communicanda ſunt. *L. 73. & 74. ff. eod.* Tiraq. *de retr. conſang. §. 32. concl. 101. n. 17. Wiſſ. cit. DD.*

§. LX.

§. LX.

Socius O. B. rẽ communem alienare nequit.

Cœterum non poſſe ſocium, etiam totorum Bonorum, rem, cum aliis ſibi communem, totam irrevocabiliter alienare, ſed alienationem hanc pro parte eâ, quæ ſocium alienantem concernit, ſubſiſtere, pro ſociorum verò reliquorum partibus eandem nullam eſſe, adeoque quemvis eorum ſuam partem per actionem in rem evincere poſſe, patet. *ex L. 1. C. de comm. rer. alien. L. 68. ff. pro ſoc.* Conf. Felic. *de ſociet. cap. 28. n. 9.* Numne verò oppignorare poterit rem communem? Et hoc quoque ipſi denegandum, notante Gothofred. *ad L. un. C. ſi Comm. res pign. &c.* quia oppignoratio ſpecies alienationis eſt, & per eam facilè ad alienationem devenitur. Quicquid autem in termino prohibitum, prohibitum etiam cenſetur in viâ, i. e. cujus finis interdictus, illius quoque media interdicta, per *L. f. C. de reb. al. non. al.* Ex aliis autem O. B. ſocii contractibus, cum extraneo initis, cœteros ſocios ex communi DD. opinione in ſolidum ſemper obligatos eſſe, quia in O. B. ſocietate, omnia quoque debita communia fiunt, & hinc nihil intereſſe videtur, quis ſociorum conveniatur, teſtatur Carpz. *p. 2. C. 17. D. 12.* Quæ tamen ſententia dubia de Jure noſtro videtur. vid. Mev. *ad J. L. Lib. 3. t. 9. a. 5. n. 4. & ſeqq.*

Nec oppignorare.

§. LXI.

De diviſione lucri & damni in ſocietate contracti.

Cum vero ſocietatis finis ſit lucri & quæſtus intentio, paucis adhuc de diviſione lucri & damni, ſi quod præter contrahentium opinionem obvenerit, videbimus. Et breviter quidem dicimus: In utraque, tam ſpecialiter O. B. quam Bonorum ſimpliciter ſocietate, ex naturâ contractus, & ſi nihil de partibus lucri & damni conventum, æqualem ſecundum Arithmeticam proportionem faciendam eſſe diviſionem, hac ſaltem diſtinctione obſervatâ, quod in illâ illatorum quantitas non attendatur: in hac verò æqualitas ex quantitate rerum in ſocietatem collatarum, vel operarũ, aut ſuſcepti periculi æſtimetur.

Dn.

Dn. Lauterb. *in Coll. Theor. Pract. tit. pro ſoc.* §. 18. *junct. tit. de Juſt. & Jur.* §. 17.

§. LXII.

Denique obſervandum, O. B. ſocium actione pro ſocio conventum ad ſaccum & peram usque excutiendum non eſſe, ſed beneficio competentiæ gaudere, ut ita excuſſio inſtituatur, quo ſalva ipſi alimenta relinquantur. §. 38. *I. de act. L. 63. ff. pro ſoc. L. 16. ff. de re jud.* Zœſ. *tit. pro ſoc. n. 40. & 43.* Franzk. *eod. tit. n. 104.* Quod privilegium ex rationis, quam tradit Ulpianus *in d. L. 63. pr.* identitate, ad ſocium particularem etiam extenditur, ſi ex causâ ad ſocietatem ſpectante conveniatur. Schvvend. *ad Eckolt. tit. pro ſoc.* §. 6. Dn. Struv. *in Evol. ad Ex. 22. θ. 37.* Lauterb. *diſp. de Benef. Comp. θ. 22.* Conf. Illuſtris Dn. Stryke *in Caut. Contr. ſect. 2. cap. 10. §. fin.*

Socius O. B. habet competentiæ beneficium. Etiam particularis.

§. LXIII.

Inter modos ſolvendi hanc ſocietatem maximè ad ſcopum noſtrum ſpectare videtur ille, quando ſocietas per OMNIUM BONORUM amiſſionem ſolvi dicitur, *in L. 4. §. 1. & L. 63. §. f. ff. pro ſoc.* Etenim cum ſocietas, ut ſupra dictum, contrahatur Bonorum in commune quærendorum causâ, non magis Bonis ſublatis ſocietati locus eſſe poteſt, quam ſublatâ ſocii perſonâ. Sola vero decoctio ad ſocietatem ſolvendam neutiquam ſufficit, ſed inſuper neceſſario, ut bonis exuatur decoctor, requiritur, per §. 8. *J. de ſociet.* Conf. Benev. Stracch. *tr. de decoct. p. 3. n. 47. cum ſeq.* Licet enim decoctionem ſequatur egeſtas, egeſtate autem ſocietas ſolvatur; *L. 4. §. 1. ff. pro ſoc.* Treutl. *Vol. 1. D. 27. θ. 11. lit. C.* decoctio tamen immediatè egeſtatem non inducit, nec egere incipit decoctor, dum decoquit, ſed dum Bonis Omnibus exuitur. Quod ipſum experientia ſatis confirmat, dum decoctorum, antequam Bona ipſis auferantur, vita ſatis ſplendida quotidiè ferè conſpectui noſtro ſemet offert. Ut hinc egeſtatis cauſa remotior ſaltem, non

O. B. amiſſione ſocietas ſolvitur.

Non autem ſolâ decoctione.

vero, ut Treutl. *d.l.* putat, cauſa proxima ſit decoctio. Vid. Felic. *de ſociet. cap. 34. n. 24.*

§. LXIV.

De publicatione O. B. remiſſive.

Cum autem Bonis quis privetur, vel per publicationem; §. *7. I. de ſociet.* de quâ *cap. 3.* plenius tractandum erit, vel per Bonorum ceſſionem; §. *8. I. eod.* quando videl. ſocius, mole æris alieni oppreſſus, BONA ſua OMNIA creditoribus relinquere tenetur, de hac in genere nunc agendum erit, additis poſtmodum iis, quæ ad hanc materiam facere videbuntur.

§. LXV.

De Ceſſione O. B.

Eſt autem Ceſſio actus, quo debitor ære alieno ſine dolo malo oppreſſus, OMNIA ſua BONA creditoribus ſponte relinquit, ut ipſis exindè, quantum fieri poſſit, ſatisfiat ipſeque â carcere liberetur. Dn. Lauterb. *in Comp. p. m. 581.* Cum enim olim LL. XII. Tabb. non tantum conceſſum fuerit creditoribus, manibus injectis in jus ducere debitores non ſolvendo exiſtentes, ſed &, ſi ſatisfactum nondum fuerit, domum reducere, nervo & compedibus vincire, venum exponere, & poſtea tertiis nundinis etiam ultimo ſupplicio afficere, vel, ſi plures creditores, in partes debitorem ſecare. Dionyſ. Gothofr. *in fragm. LL. XII. Tabb.* Gellius *L. 20. c. 1.* Quintil. *Lib. 3. Inſt. Orat. cap. 6.* Conſ. Meierus *in C. J. A. tit. ff. de re jud. θ. 101.* Progreſſu temporis mitius cum debitoribus agi cœptum, & L. Juliâ, â Cajo Julio Cæſare, vel ſucceſſore ejus Auguſto, latâ, Hottom. *Illuſtr. quæſt. 24.* cautum, ut, ceſſante duriori illâ ac propè inhumanâ pœnâ, debitores, egeſtate ſummâ ſine culpâ ſua laborantes & caſu fortunæque ludibrio ad incitas redacti, Bonis cedendo vinculorum cruciatus, carcerisque moleſtias evitare poſſint. *L. 1. & 4. C. qui Bon. ced. poſſ.* ibique Bartol. Carpzov. *p. 2. C. 22. D. 11.* Hinc beneficium dicitur ceſſio, *in d. L. 1. &*

4. item invidioſa ceſſio. *L.5. C. eod.* miſerabile auxilium. *L. f. C. eod.* & flebile adjutorium. *L.7. C. eod.*

§. LXVI.

Competit hocce beneficium omnibus debitoribus ſine dolo malo depauperatis, tam maſculis quam fœminis; ubi tamen ſingulare hoc Jure novo obſervandum, quod mulier, licet Bonis cedere nolit, ob civile tamen debitũ carceri mancipari nequeat. *Nov.134. cap.9. & inde deſ. auth ſed hodie. C. de off. div. jud. & auth. hodie C. de de Cuſtod. reor.* niſi meretrix ſit. Gomez. *tom.2. var. reſ. cap.11. n.51.* adeò ut etiã Judex mulierem pudicam & caſtam vitam agentem incarcerans capitali pœnâ puniatur; *L. 1. C. de off. div. jud.* quæ pœna gravisſima in pecuniariam hodiè mutata, notante Brunnem. *ad d. L. 1.* Porrò Eccleſiam quoque vel univerſitatem, aut alud collegium Bonis Omnibus cedere poſſe, patet *ex Nov. 3. in præfat.* In ſpecie de civitate obæratâ hoc aſſerunt Zœſ. *ad ff. tit. de bon. ceſſ. n. 4.* & Fr. Salgado de Samoza *Labyrinth. cred. c. 1. §. 2. n. 41.* Cui tamen cedenti tot Bona, quot ad ſalaria, tam præterita quam futura, publicorum officiorum opus habet, relinquenda eſſe, ſtatuit Carpz. *p.3. Dec.278.* cum competentiæ beneficium ipſi competat. Vid. Illuſtris Dn. Stryke *de caut. contr. ſect. 1. cap.3. §.16.* B. Brunn. *de concurſ. cred. cap. 1. §.5.* quod & Eccleſiæ obæratæ cedenti concedit Tholoſ. *L. 22. S. J. U. cap. 9. n.9.* & idem ad Clericum cedentem extendit Panormitanus, citatus à Perezio *in C. tit. qui bon. ced. poſſ. n. 4.* Ulterius, & qui ſoluturum ſe juravit, non obſtante juramento, ad hoc beneficium ceſſionis reſilire poterit; Quamvis enim omne Juramentum ſervandum ſit, quod in æternæ ſalutis diſpendium non vergit; *cap. cum contingat. x. de jurejur. & cap. quamvis. de pact. in VI.* ad Impoſſibilia tamen illud neminem obligabit, cum ſemper hanc tacitam clauſulam continere cenſeatur, quatenus poſſibile eſt ei, qui juravit. Molin. *d. J. & J. tr. 2. diſp.572. n. 22.* Denique etiam pro-

De ſubj. ceſſionis.

Civitas obærata cedens competentiæ beneficio gaudet.

proſcriptum vel deportatum, cujus Omnia Bona fiſco applicata ſunt, ſi poſtea reſtitutus, priſtina Bona recuperet, & à creditoribus conveniatur, hoc ceſſionis beneficio frui poſſe, notat Schneid. *ad §. f. J. de act. n. 4.*

§. LXVII.

Quænam perſonæ ceſſionis beneficio non gaudeant?

E contrario verò dicto beneficio non gaudet, qui ſciens ſe non eſſe ſolvendo, ſpe cedendi contraxit; Brunn. *R. P. W. tit. de ceſſ. Bon. qu. 11.* Struv. *Ex. 44. th. 26.* uti nec ille, qui in fraudem creditorum bona ſua ac facultates dilapidavit. *L. f. §. f. ff. quæ in fraud. cred.* Hi enim culpâ ſuâ depauperati. Ergo pauperum quoque beneficiis privandi, & plumbatarum (erant autem plumbatæ flagellorum genera, ut late explicat Card. Baron. *in Martyr. 6. Junii in verb. plumbatis caſus.*) potius ictibus ſubjiciendi ſunt, per *L. quilibet. 40. C. de decur.* Conf. omninò Illuſtris Dn. Stryke *V. 1. Diſp. Jur. D. 9. c. 6. n. 24.* & Meierus *in C. J. A. tit. ff. de Bon. ceſſ. th. 5. n. 6.*

§. LXVIII.

De Obj. Ceſſionis.

Cedenda autem creditoribus ſunt Omnia Bona, quæ in præſentiarum debitor poſſidet, quæque pleno jure ad ipſum pertinent, eaque omnia, etiam juramento deſuper præſtito, indicare tenetur, ita ut ſecundum Gloſſ. *in L. p. in f. ff. de Bon. ceſſ.* nec quadrantem, multo minus neceſſaria vitæ alimenta reſervare ſibi poſſit, cum hæc tantum eo caſu ipſi concedantur, ſi poſt factam ceſſionem fortuna melior arriſerit. *L. 6. ff. d. t.* Licet verò ſtricto jure hæc ita ſe habeant, æquitas tamen ac humanitatis ratio ſuadet, relinquendas eſſe cedenti, quemadmodum & ad mortem damnato, veſtes panniculares & quotidianas, ne nudus incedere cogatur. *L. 6. ff. de bon. damn.* Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 11. n. 51.* Imò non ſolum veſtem ſed & lectum cum ſuis ornamentis & ex rebus mobilibus minoris pretii unam Bonis cedentibus relinqui debere, voluit Imp. Carol. V. tradente ex Petr. Peckio *tr. de Jur. ſiſt. C. 45. n. 19.* Colleg.

Jur.

Jur. Arg. *tit. ff. de Bon. ceſſ. θ. 9. n. 3.* Notanter autem ſupra dixi, veſtes quotidianas penes cedentem remanere, pretioſas enim & ſuperfluas cum aliis rebus creditoribus cedere cogendus eſt debitor. Imò putarem, etiam veſtimenta quotidiana, ſi pretioſa fuerint, pariter, receptis vilioris pretii, honeſtis tamen, veſtibus, creditoribus concedenda eſſe. Denique ex æquitate cedentem Inſtrumenta fabrilia, quibus victum & amictum ſibì quærit, retinere quoque poſſe, ſtatuit Covarruv. *L. 2. reſ. var. c. 1. n. 5. in f.* Undè Tholoſ. *L. 22. S. J. ll. c. 9. n. 7.* deducit, nec ſtudioſum bonis cedentem neceſſariis libris privandum eſſe. Verum hæc locum habent, ſi alia Bona creditoribus ſufficiant, aliàs tandem & in his rebus Executioni locum eſſe, verius videtur. Illuſtr Dn. Stryk. *in dict. ad Lauterb. Comp. p. m. 581.*

§. LXIX.

Hoc certum per ceſſionem, ſi bona non ſuffecerint, cedentem in totum non liberari, ſed catenus tantum, quatenus ſatisfactum, ita ut quoad reſiduum ſalva ſemper creditoribus ſit actio, licet illa, vel etiam ſententiæ Executio contra debitorem condemnatum tam diu ſuſpendatur, donec idoneum emolumentum denuò ſibi acquiſiverit. *§. f. J. d. act.* Hinc Bonis cedens cavere debet fidejuſſoribus datis, aut, ſi hos habere nequeat, juramento vel nudâ promiſſione, de reliquis bonis ſolvendis, ſi ad meliorem fortunam pervenerit. *cap. Odoardus. 3. x. de ſolut.* Menoch. *Lib. 2. de arb. jud. quæſt. c. 183. n. 20.* In bonis tamen poſtea quæſitis Competentiæ beneficium LL. civiles ipſi concedunt, quia quodammodo inhumanum eſt, ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum condemnari. *§. f. I. de act. L. 4. pr. ff. de ceſſ. Bon.* Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 11. n. 52.* Quod ipſum ſibi locum duntaxat vindicabit, quoad illos creditores, quibus ſemel bona ceſſa, quoad poſteriores enim, qui poſt ceſſionem contraxerunt, novâ ceſſione opus eſt. Lauterb. *in Comp. p. 582.* ibique Illuſtris Dn. Stryke *in not. Zœſ. ad tit. ff. de Bon.*

Per ceſſionem cedens in totum non liberatur.

Habet tamen in bonis poſtea acquiſitis comp. beneficium.

ceſſ. n. 9. & 20. Planè iis in locis, in quibus ignominioſi illi ac vituperabiles cedendi ritus (quorum mentio mox facienda) recepti, debitorem poſt ceſſionem omninò ab omni debito immunem eſſe, nec conveniri poſſe, etiamſi ad pinguiorem fortunam poſtea pervenerit, ſtatuunt Guid. Pap. *decis. 343.* Menoch. *cit. l. n. 23.* Brun. *tr. de ceſſ. Bon. qu. 3. pr. n. 6.* ex ratione, quod illa ignominiæ pœna ſolutionis loco cedat. Verum, Reſp. poſſet ad hanc rationem, actum illum ignominioſum non tam in debiti compenſationem, quam ne quis facilè in, creditorum detrimentum ad ceſſionis beneficium confugiat, adhiberi. Perez. *in C. tit. qui bon. ced. poſſ. n. 23.*

§. LXX.

Ceſſio non infamat.

Niſi in illis locis, ubi cedentes ignominioſum actũ facere tenentur.

Cœterum cum hoc beneficium legale ſit, nec juris, nec facti infamiam continebit, ſed leviſſimâ ſaltem maculâ debitor notabitur, uti hoc ſolidiſſimè probavit Illuſtris Dn. Stryke *in V. 1. Diſp. Jur. D. 9. cap. 6. n. 20. & ſeqq.* Illud tamen non negaverim, moribus quorundam locorum facti ignominiam cedentes incurrere, præſertim in quibus ignominioſi cedendi ritus introducti ſunt. Sic apud Bœotios in foro ſedens, qui bonis cedere cupiebat, plebe circumſtante in os & ora orbem accipere tenebatur, quâ nulla ignominia major fuit. In civitatibus quibusdam Italiæ ceſſio fit debitore publicè poſteriora nuda oſtendente & dicente: *Cedo Bonis.* Præſertim Romæ bonis cedens cogitur Leonem marmoreum in ſcalis Capitolii aſcendere, ibique nates percutiens clamare: *Cedo Bonis.* In quibusdam vero Sabaudiæ & Lugdunenſis territorii Civitatibus cogitur ignominioſè nudatus ſaxo publico, quod vituperii vel turpitudinis vocant, inſidere, aut etiam poſteriora ad illud ter percutere, & totidem palam proclamare: *Cedo Bonis.* In Galliâ cedens in Judicium præſens venire, nudatoque capite, nudâ cervice, & cingulo in Judicio relicto, diſſolutus abire debet. In ſpecie Limn. *Tom. 1. add. ad Lib. 4. cap. 8. p. 313.* ex Lovetio

vetio præjudicium Parlamenti Pariſienſis adducit, quo cautum erat, ut bonis cedentes, licet ſine fraude, pileo viridi uterentur, quem creditores ipſis ſubminiſtrare deberent, ut ſi absque pileo hoc deprehenderentur, in carcerem retrotrahi poſſent. Alibi locorum in loco publico veſtem ab aliis diſtinctam, aut pileum flavi coloris eos geſtare, idem notat Limn. *d. l. p. 312.* Aliis in locis circumducuntur per civitatem, campanâ pulſatâ, cum tubis & vituperio, usque ad eum locum ubi ceſſio facienda. Extat quoque antiqua Adriani Imp. ſanctio, ut bonis cedentes in foro catamidiarentur, h. e. publicè deridendi exponerentur, quæ in nonnullis quoque locis recepta eſt. Singula latius probata vid. in Vol. 1. Diſp. Jur. Illuſtris Dn. Strykii *d. D. 9. c 6. n. 25.* & Coll. Jur. Arg. *tit. de ceſſ. Bon. §. 11.* Hæc ipſa tamen Statuta, quatenus etiam eos, qui adversâ fortunâ, ſine culpâ ſuâ deplorati redditi, talismodi ritibus uti debere præcipiunt, ab omni humanitate longè remota ſunt, Straccha *de decoct. p. 3. n. 3.* Mynſ. *ad §. f. J. de act.* & hinc meritò, tanquam irrationabilia, penitus tollenda eſſent.

§. LXXI.

Paucis adhuc de controversâ illâ ac maximoperè inter DD. agitatâ quæſtione, utrum ſc. beneficio huic renunciare poſſit debitor, nec ne? videndum eſt. Negativæ ſubſcribunt B. Dn. Struv. *Ex. 44. §. 26.* Perez. *in C. tit. qui bon. ced. poſſ. n. 20.* qui *n. 21.* nec juratam beneficii hujus renunciationem valere aſſerit. Wiſſenb. *ad ff. V. 1. D. 21. §. 21. cum alleg. ibid. DD.* Lauterb. *in Comp. p. m. 582.* ex ratione, quod carcer ſervitutis quædam ſpecies ſit, & hinc ad eum nemo obligare ſe poſſit. Jam vero renunciatio beneficii ceſſionis Bonorum videtur involvere obligationem ad carcerem. Ergo. Verum, præterquam quod negari poſſit, ſervitutis ſpeciem eſſe carcerem, quo debitor, donec ſolverit, concluditur; dici etiam poſſet, non vi hujus pacti renunciativi fieri, ut in carcerem debitor detrudatur, *Qu. an beneficio ceſſionis renunciari poſſit?*

tur,

tur, ſed eo ſaltem tolli favorem pro debitore introductum, illoque favore ſublato, ipſius Legis ſanctionem ſuccedere, quæ debitores non ſolventes carceri adjudicat. Conf. omnino Illuſtris Dn. Stryke *tr. de Caut. Contr. Sect. 2. c. 1. §. 39. & in Vol. 1. Diſpp. Jurid. D. 9. cap. 7. n. 4. & ſeqq.*

§. LXXII.

De beneficio dationis in ſolutum remiſſive.

Hæc de Bonorum ceſſione dicta ſufficiant. Tangendum nunc quoque eſſet affine illud remedium, quod dationis in ſolutum beneficium vocatur, quo debitori pecuniâ deſtituto conceſſum eſt, oblatis BONIS ſuis OMNIBUS urgenti creditori, etiam invito, pro ſolutione, ſe â rigidiore executione citra injuriam liberare. *Nov. 4. cap. 3.* Verum cum de hac materiâ jam tum ex profeſſo actum ſit, in ſæpius *cit. Diſp. 9. Vol. 1. Diſpp. Jur.* Illuſtris Dn. Strykii, brevitatis ſtudio eo nos remittimus, præſertim cum eadem ferè hic obtineant, quæ de ceſſione modo dicta ſunt. Progredior itaque ad materiam miſſionis in poſſeſſionem Bonorum debitoris. Ceſſione enim factâ rerum ceſſarum dominium in Creditores non ſtatim transfertur, ſed miſſio in Bona â creditoribus prius petenda, Curatorque Bonorum conſtituendus, qui ea adminiſtret, diſtrahat ac creditoribus indè ſatisfaciat. *L. 3. C. de bon. aut. jud. poſſ. L. 14. ff. de reb. aut. jud. poſſ.* Hinc in genere nunc de miſſionibus in poſſeſſionem Bonorum debitoris agendum eſt.

De Miſſione in bonorum poſſeſſ. debitoris.

§. LXXIII.

De Miſſione ex I. Decreto.

Miſſio autem fit vel ex primo, vel ex ſecundo decreto. Miſſio in poſſeſſionem ex primo decreto, quam fiducariam poſſeſſioné, eo, quod ſub regiâ fiduciâ & manu tenetur, Pragmatici appellant, & vulgo Recredentiam vocant, quod per Judicis ſententiam res alicui credatur & committatur, eſt actus, quo creditores decreto Prætoris in poſſeſſionem Bonorum debitoris, ad res cuſtodiendas & ſervandas Jure pignoris Prætorii introdu-

cun-

cuntur, ut reus, tædio affectus, veniat reſponſurus. Lauterb. *in Comp. p. m. 582.*

§. LXXIV.

De Objecto hujus Miſſionis.

Mittuntur creditores in OMNIA, cujuscunque debitoris, etiam furioſi & ſine dolo latentis, BONA, ſive pleno jure ea poſſideat, ſive jus reale tantum in iis habeat, qualia ſunt Bona feudalia & Emphyteutica, in quæ ratione fructuum, & ad vitam vaſalli liberorumque ejus immiſſio peti poteſt. *L. 15. §. 26. ff. de damn. inf.* Brunn. *in R. P. W. eod. tit. qu. 20.* Et hoc quidem de Jure veteri certum eſt; utrum vero adhuc hodie immiſſio in BONA OMNIA fieri poſſit? dubium eſt. Negativam cum DD. comm. defendunt Lauterb. *in Comp. p. m. 583.* Brunn. *d. l. qu. 25. & ad tit. ff. de reb. auth. jud. poſſ. qu. 6.* ob *Nov. 53. cap. 4. §. 1. & inde deſ. auth. & qui jurat C. de bon. auct. jud. poſſ.* Verum cum *in d. Nov. 53.* non miſſioni ſed diſtractioni modus poſitus ſit, de hac mutatione dubitari poſſet. Vid. Struv. *Ex. 44. th. 38.* & Meier. *in C. J. A. tit. ut in poſſ. Legat. th. 4. n. 1.* Planè in realibus actionibus actorem tantum in petita Bona mitti, conſtat *ex L. 7. §. 17. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur;* Quod ad eum caſum reſtringendum, ſi abſens ſit debitor; Quod ſi vero latitet, pariter in omnia Bona immiſſio peti poteſt. Meier. *in C. J. A. tit. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. th. 4. n. 2.*

Qv. an adhuc J. N. miſſio fiat in O. B.

§. LXXV.

Etiã conditionalis creditor in poſſ. bon. mitti poteſt.

Cœterum quoad creditores immittendos planè nihil refert, an ex actione reali, an vero perſonali aliquid ipſis debeatur. Item an ex cauſa debiti puri, an vero conditionalis creditores ſint, cum & creditor conditionalis, ſi ad interponendam cautionem, de debito veniente die ſolvendo, (quod in b. f. judiciis permiſſum eſt) agatur, ex primo decreto immisſionem impetrare queat. *L. 41. ff. de Jud. L. 6. pr. ff. quib. ex cauſ. in poſſ.* Conf. Perez. *in C. tit. de bon. aut. jud. poſſ. n. 5.* C. J. A. *eod. tit. ff. th. 3. n. 2.* Wiſſenb. *ad ff. V. 2. D. 21. th. 3.*

§. LXXVI.

De Effectu miſſionis ex I. Decreto.

Effectus vero hujus miſſionis eſt nuda ſaltem Bonorum detentio, quam ex Jure pignoris prætorii, per immiſſionem in Bona ſibi conſtituti, conſequitur immiſſus, donec reus tædio affectus ad reſpondendum veniat. *L. 5. pr. ut in poſſ. leg.* Reo itaque in realibus Judiciis intra annum, in perſonalibus tempore arbitrario, Jure Canon. indiſtinctè per annum, comparente, & expenſas ipſius nomine ſine fraude factas, damnaque, per contumaciam accepta, actori refundente, *L. 15. C. de jud.* ac inſimul fidejuſſoriam (quam in contumaciæ pœnam præcisè requirit, nec juratoriam, vel pignoratitiam ſufficere vult Gloſſ. *ad Nov. 53.*) cautionem præſtante, de excipiendâ actione & lite proſequenda, facillimo negotio Bona ſua reſtituentur. *auth. & qui jurat. C. de bon. auct. jud. poſſ.* Interim verò fructuum quoque colligendorum facultatem habebit creditor immiſſus, non quidem ut eos ſibi habeat, vel ut alimenta exinde capiat, ſed ſaltem ut eos cuſtodiat. Neque conſumere illos poterit, licet hoc ipſum ſorti imputare velit *L. 7. pr. quib. ex cauſ. in poſſ.* Struv. *Ex. 44. th. 39.*

§. LXXVII.

De miſſione ex II. Decreto.

Quod ſi hæc reus facere negligat, prævia cauſæ cognitione, actor ex ſecundo decreto jus veræ poſſesſionis, & uſucapiendi conditionem, fructuumque commoditatem nanciſcitur; *L. 15. §. 16. ff. de damn. inf. L. 3. §. f. ff. de acq. poſſ.* Quo decreto tamen in actionibus realibus opus non eſt, cum hic per ſolum anni lapſum poſſesſio ejusq; commoda in actorem transferantur, reſervatâ reo duntaxat proprietatis quæſtione. *cap. 1. x. de eo qui mitt.* Accurſius *in L. 15. ff. de damn. inf.* Licet tutius ac conſultius eſſe dicant, in reali quoque actione Judicis decretum & adjudicationem quandam requirere, quo veræ poſſesſionis jura quis conſequatur. Gudelin. *de Jur. noviſſ. Lib. 4. cap. 6.*

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Impetrato hocce ſecundo decreto, nec debitore comparente, ſed in contumaciâ perſiſtente, ſequitur tandem Bonorum proſcriptio, & ſub haſtâ diſtractio, ut creditoribus ex diſtractione eorum conſuli posſit; *L. 9. C. de bon. auct. jud. poſſ.* Struv. *Ex.44. th. 42.* quam diſtrahendi licentiam, poſt modicum ab impetrato ſecundo decreto, tempus, judex concedit; Cum enim nihil hoc paſſu in jure determinatum ſit, meritò judicis arbitrio illud committitur. Gail. *de Arreſt. c. 1. n. 18.* Facienda autem eſt publica BONORUM OMNIUM debitoris venditio eo in loco, ubi defendere ſe debet, h. e. ubi domicilium habet, aut contraxit, *L. 1. & ſeqq. ff. de reb. auct. jud. poſſ.* ac ex pretio indè redacto omnibus creditoribus ſatisfaciendum, niſi alii aliis potiores ſint, quo caſu prior ratio eorum erit, qui jure dominii res ſuas petunt, hi enim nec concurſui ſemet immittere tenentur, cum nemo rei ſuæ creditor eſſe posſit, ſed ſtatim rem ſuam, in bonis debitoris adhuc extantem vindicare poterunt. In concurſu vero præferendi (1) qui ſingulari prælationis jure gaudent (2) qui cum privilegio perſonali conjunctam habent hypothecam, (3) ſimplices hypothecarii, (4) perſonaliter privilegiati, & denique in quintam claſſem referendi chirographarii, de quâ integrâ materiâ vid. eleg. tr. B. Brunn. *de concurſ. cred. cap. 5.* Atque ſi hoc modo integrum æs alienum ſolutum fuerit, omnesque creditores ſuum receperint, id quod ſuperfluum fortè erit, Actis intervenientibus præſentibusque tabulariis deſignandum, & in æde ſacrâ apud Cimeliarcham, i. e. Eccleſiæ theſaurarium, deponendum eſt, quo, ſi quis poſtea creditor apparuerit, debitumque ſuum plenè probaverit, ex illâ depoſitâ pecunia ſatisfieri ipſi posſit. *L. f. §. 1. C. de bon. auct. jud. poſſ.* ibique B. Brunnem.

De Bonorum ſub haſtâ venditione.

Ex pretio rerum venditarũ omnibꝰ creditoribus ſatisfaciendũ.

Quid ſi ſuperfluum quid remanſerit?

§. LXXIX.

Præterea ſi heredem habeat debitor, qui propriis ſuis credito-

De Sepa-

rat. Bonorum. ditoribus ſolvendo non eſſet, ne confundantur Bona defuncti & heredis per hereditatis aditionem, Bonorum ſeparationem hereditarii creditores petere poſſunt; quo ipſo in bonis defuncti debitoris creditoribus obærati heredis præferuntur. *t.t. ff. de ſeparat.* Quod remedium etiam hypothecariis utile eſſe credimus, cum Illuſtri Dn. Lynckero *in Anal. ad Struv. S. J. C. Ex. 44. θ. 60.* Licet communiter ferè DD. diſſentiant. Vid. Struv. *d. l.* Wiſſenb. *ad ff. V. 2. D. 22. th. 11.* B. Brunn. *R. P. W. tit. ff. de ſeparat. qu. 2. n 1.*

§. LXXX.

De Curatore Bonorum. Miſſis creditoribus in poſſesſionem, ne bona interim diſſipentur, cuſtodiendis iis curator dari ſolet, ut adminiſtret, actiones exerceat & excipiat, & nonnunquam etiam Bona debitoris vendat, atque ex pretio indè redacto creditoribus pro modo pecuniæ cujusque ſolvat. *L. 1. & t. t. C. de Curat. bon. dand.* Qui apud Veteres Romanos, vivo adhuc debitore, Magiſter, eo verò mortuo, Curator Bonorum dici ſolitus eſt. Goëdd. *ad L. 57. ff. de V. S. n. 2. & 3.* & à JCto Ulpiano, *in L. 27 ff. de reb. aut. jud. poſſ.* arbiter, & à JCto Pomponio, *in L. 23. §. 2. & 3. ff. de hered. inſt.* procurator dicitur.

§. LXXXI.

De cauſa Efficiente Curat. Bonorum. Conſtituitur autem hic BONORUM OMNIUM, tam allodialium quam feudalium, tam præſentium quam futurorum rerum, tam corporalium, quam incorporalium, Curator, vel à Judice ex officio ſuo nobili, & quidem vel proprio motu, ſi videat, nemine curatorem petente bona diſſipari; vel ad petitionem & inſtantiam ſubjectisſimam, Gloſſ. *ad Rubr. de Interrogat.* eorum quorum intereſt; Gail. *L. 2. obſ. 130. n. 2.* qui tamen inviti Curatorem petere non tenentur, quia id nullo jure cautum eſt, teſte Schrad. *de feud. p. 10. ſect. 19. n. 266.* Vel conſtituitur etiam privato creditorum conſilio, idque duobus

in caſibus. Primò; ſi ex primo decreto in Bona debitoris creditores immiſſi, tunc enim liberum ipſis eſt, an ipſi ſimul omnes bona adminiſtrare cupiant, an verò curatorem, cui uni negotium hoc committant, conſtituere malint *L. 8. §. f. & L. 15. pr. ff. de reb. aut. jud. poſſ.* eumque vel ex creditoribus ipſis, *L. 19. pr. ff. quib. ex cauſ. in poſſ.* vel extraneum quempiam, *d. L. 15. & L. 2. §. 4. ff. de curat. bon. dand.* quod poſterius conſultius eſſe exiſtimat Brunn. *R. P. W. tit. de curat. bon. dand. qu. 3.* Atque hoc caſu officium hujus curatoris in eo conſiſtit, ut Bona cuſtodiat, ea quæ ſervando ſervari nequeunt, (qualia cenſentur, quæ in naturali ſuâ bonitate ultra triennium non ſunt duratura, quin corrumpantur,) diſtrahat, *L. 23. §. f. ff. de hered. inſt.* & actiones activè & paſſivè, ſi â Prætore conſtitutus ſit, exerceat; *L. 5. §. 1. ff. de Carb. Edict.* Præſertim ſi tempore perituræ ſint. *L. 14. pr. ff. de reb. auct. jud. poſſ.* Hinc uſucapiones interpellare, & ne debitores liberentur, providere debet. *L. 1. §. 21. de ventr. in poſſ. mitt.* Secundus caſus eſt, ſi creditoribus ex ſecundo decreto immiſſis bona debitoris vendere concedatur; quo caſu curator immediatè bona vendere, creditoribusque ſatisfacere poteſt; *L. f. ff. de curat. bon. dand.* adeò ut etiam creditores, curatore bonis vendendis ſemel conſtituto, utcunque mallent, bona tamen ipſi amplius vendere nequeant: ne quidem ſi poſtea curator ille, nondum confecto negotio, moriatur, cui tunc alius ſubſtituendus potius eſt; *L. 9. ff. de curat. furioſ.* quia qui duas vias â principio habet, unam eligendo alteri renunciaſſe videtur, *arg. L. 5. C. de O. & A.* Bald. *ad cit. L. 9.*

De officio Curatoris Bonorum.

§. LXXXII.

Licet autem amplum officium, & ſatis magna Curatoris Bonorum auctoritas ſit, uti ex jam dictis conſtat, eò tamen poteſtas ejus minimè ſe extendit, ut ex bonis, quæ adminiſtrat, donare quicquam valeat, *arg. L. 28. §. f. ff. de pact.* cum officii ejus

Curator Bonorum donare nequit.

ejus ſit, adminiſtrare bona, non verò ea perdere; *L. 7. pr. ff. de donat.*

Limit.

Niſi tamen donare velit, pro more & liberalitate ejus, cujus bona adminiſtrat. Ponamus enim, eum, cujus bonis curator datus eſt, nobili genere eſſe, ac aliàs munera ſolennia & Xenia conſanguineis, amicis, Advocatis, vel aliis mittere ſolitum eſſe; Poterit ſanè hoc caſu Bonorum Curator idem liberalitatis genus exercere, moresque illos nobiles retinere, quos non excogitavit primus, ſed in ratione rei familiaris invenit acceptos. *arg. L. 12. §. 3. ff. de adm. & per. tut.* Garſia. *tr. de exp. & melior. cap. 10. n. 9. ſeq.*

§. LXXXIII.

Curator Bon. ad inventarium tenetur.

Cœterum cum curator Bonorum adminiſtrationis ſuæ rationem reddere teneatur, ſequitur, eum quoque ad Inventarii confectionem obligatum eſſe, cum hoc reddendarum rationum fundamentum ſit; aut ſi hoc facere neglexerit, in litem contra eum jurabitur, Struv. *Ex. 44. th. 71.* Pariter ad damna dolo & lata culpa data reſarcienda debitori tenebitur, & quoad creditores levem etiam culpam præſtabit. Struv. *d. l.* Willenb. *ad ff. V. 2. D. 22. th. 15.* Brunn. *K. P. W. tit. ff. de curat. bon. dand. qu. 6.* quia his, propter ſalarium quod recipit, ex conducto obligatus eſſe videtur.

§. LXXXIV.

Tacita tamen hypotheca in bonis ipſius non competit.

Quanquam autem aliàs Bona curatorum prodigorum, furioſorum, & ſimilium miſerabilium perſonarum pro malâ adminiſtratione tacitè hypothecata ſint; *L. 15. §. 1. ff. de curat. furioſ.* ita ut in concurſu creditorum privilegio perſonali cum tacitâ hypothecâ hæ perſonæ gaudeant. *L. 19. §. 1. L. 20. 21. & 22. ff. de reb. aut. jud. poſſ.* Fallit tamen hoc ipſum in Bonorum Curatore, in cujus Bonis creditoribus nulla tacita hypotheca competit, cum in eadem causâ hic curator non ſit, *d. L. 22.* hic enim Bonis tantum; illi vero, miſerabilium ſc. perſonarum curatores, etiam perſonæ dantur. *L. 7. pr. ff. de curat. furioſ.*

Licet Praxis generaliter in bonis adminiſtratorum hanc hypothecam admittat *arg. L. 20. C. de adm. tut.* Illuſtr. Dn. Stryke *in not. ad Lauterb. Comp. p. m. 589.* *Secus in Praxi.*

§. LXXXV.

Quartam denique contractuum conſenſualium ſpeciem conſtituit mandatum, quod qui ſuſcipit mandatarius ſive procurator dicitur. Eſt autem procurator, ſic dictus quaſi pro alio curator, cujus nomine res & negotia gerit, notante Donat. Vincent. Tabarell. de Fatis *tr. de Judic. p. m. 118.* ratione objecti vel generalis, vel ſpecialis. De hoc jam non erimus ſolliciti, ſed ſaltem de illo, qui ad omnia conſtituentis negotia & Bona datus eſt, atque uno nomine OMNIUM BONORUM procurator dicitur. *L. 20. §. 1. ff. de novat.* Item univerſorum Bonorum, *L. 17. §. f. ff. de jurej. L. 12. ff. de pign. act.* & omnium rerum adminiſtrator, *in L. 87. ff. de ſolut.* Vid. C. J. A. *tit. ff. de procurat. th. 5.* Huic procuratori liberrimam conceſſam eſſe facultatem omnia illa agendi, quæ ipſe Dominus, ſi præſens eſſet, agere poſſet & vellet, ex variis Juris noſtri textibus probari poteſt. Poterit enim Juramentum deferre, *d. L. 17. §. f.* debita â debitoribus exigere, *L. 58. de procurat. L. 12. de pact.* permutare, *d. L. 58.* ſocietati renunciare, *L. 65. §. 8. pro ſoc.* novare, *L. 20. §. 1. de novat.* pignori dare, modò ipſe principalis mutuas ſub pignoribus accipere pecunias ſolitus ſit, *L. 12. ff. de pign. act.* ſolvere creditoribus, *L. 87. ff. de ſolut. & d. L. 12. de pact.* ipſique ſolvi â debitoribus, *L. 11. ff. eod.* atque in genere omnia illa agere, quæ aliàs procuratori cum Liberâ conceduntur. *De Mandato.* *De Procuratore.*

§. LXXXVI.

Etenim illorum ſententiæ ſubſcribere placet, qui diſtinctionem illam procuratoris O. B. ſimpliciter talis, & cum Liberâ Juri Civili penitus incognitam aſſerunt, inter quos vid. Bachov. *ad Tr. V. 1. D. 20. th. 5. lit. 6. & c.* Franzk. *tit. ff. mand. n. 63.* Meier. *in C. J. A. tit. ff. de procurat. th. 7.* Licet enim procuratoris cũ liberâ quoad vocem in Jure noſtro mentio fiat, *Procurator univerſalis J. Civ. idem potens, quod bo-*

atta-

attamen particula *LIBERA* in Legibus procuraturam non diſtinguit, ſed declarat ſaltem, quid Juris O. B. procuratori competat. Franzk. *d. l.* Vinn. *ad §. 42. J. de R. D.* Equidem contrariam ſententiam tuentur Struv. *Ex. 7. th. 25. & Juriſpr. L. 3. t. 15. th. 4.* Schvvend. *ad Eckolt. tit. de procur.* §. 4. Wiſſenb. *ad ff. eod. tit. th. 10.* propter *L. 58. ff. de procurat. & L. 63 ff. eod.* ex quibus textibus talem, inter procuratorem O. B. ſimpliciter talem, & cum Liberâ conſtitutum, differentiam elicere volunt, quod ille, cui libera negotiorum adminiſtratio conceſſa, rem alienare poſſit & permutare *d. L. 58. & L. 9. §. 4. in f. ff. de A. R. D.* Hoc vero totorum Bonorum procuratori interdictum ſit, *in d. L. 63.* Verum enim verò, præter alias reſponſiones, ſuppeditatas â Franzkio & Meiero *dd. ll.* ad *L. 63.* commode reſponderi poteſt, loqui eam, non de totorum Bonorum procuratore generali, ſed de illo, cui res adminiſtrandæ mandatæ ſunt. Ut hinc differentia quidem ſit, inter adminiſtrationem ſimpliciter commiſſam, & commiſſam adminiſtrationem liberam, non vero inter procuratorem Omnium Bonorum, & procuratorem cum Liberâ. Vid. omnino Illuſtris Dn. Stryke *in ſpecim: Uſus Mod. ff. tit. de procurat. §. 33.* Quicquid ſit de Jure Civili, Jure Can. tamen hæc diſtinctio canoniſata, per *cap. 4. de proc. in 6to.* Covarruv. *L. 1. var. reſ. 6. n. 3.* & Praxi Germaniæ recepta eſt; adeò ut ſi clauſula cum Liberâ ſubjecta ſit mandato generali, illud tunc ex communi pragmaticorum opinione mandati ſpecialis vim atque effectum ſortiatur. Quamvis hæc ipſa clauſula ratione eorum, quæ in mandato expreſſa, ſuperflua videatur; ratione eorum vero, quæ non expreſſa, vix ſufficiat, cum non conſtet, an Dominus hoc voluiſſet agere, licet potuiſſet. Illuſtr. Dn. Stryke *tr. de caut. contr. ſect. 2. cap. 11. §. 4. in f.*

[Margin: ...die procurator cum Liberâ.]

[Margin: Aliud de Jure Can. & Praxi.]

§. LXXXVII.

[Margin: Procuratori O. B. debitum ſolvi poteſt.]

Supra dictum procuratorem O. B. etiam debita â debitoribus exigere, ipſique valide ſolvi poſſe, per *L. 11. & 12. de pact.* Qv. itaque, ſi duo procuratores Univerſorum Bonorum

dati

dati ſint, an à ſe invicem debitum petere poſſint? Et videndum, an unus eorum ex priori aliquâ causâ Domini debitor ſit, an vero uterque? Priori caſu, qui debitor eſt, alteri ſolvere tenetur; *L.46. §.f.ff. de procurat.* poſteriori verò neuter ab altero petere poteſt. *L. 47. eod.* niſi alter eorum ſpeciale mandatum habeat. *L.58. d. t.*

§. LXXXVIII.

Cœterum non confundendus cum O. B. procuratore, univerſarum litium procurator, cujus magis reſtricta poteſtas eſt, & nulla penitus de bonis diſponendi licentia competit. Hinc quando in Jure noſtro Univerſali procuratori facultas compromittendi, tranſigendi, juramentum deferendi &c. tribuitur; hoc nunquam de procuratore ad omnes lites dato, ſed totorum Bonorum adminiſtratore intelligendum. Licet enim & ille, ratione ſingularis procuratoris, univerſalis dici mereatur, intuitu tamen univerſalis & O. B. procuratoris reverâ ſingularis eſt. Dn. Lauterb. *diſp. de proc. ſubſtit. c. 1. §. 5.* Atque tale mandatum ad omnes lites præſentes & futuras in Cam. Imp. requiri, omniaque mandata ſpecialia, ad certam cauſam directa, ibidem interdicta eſſe, conſtat ex R. J. noviſſ. *de A. 1654. §. 101.* conf. Blum. *in Proceſſ. Cam. tit. 67. n. 25.* *Separando ab O. B. procuratore, procurator univerſarum litium.*

§. LXXXIX.

Tandem cum transactio plerumq; vel per pactum, vel per ſtipulationem, vel per contractum innominatum iniri ſoleat, vid. Lauterb. *in Comp. p. m. 53.* brevisſimè quoque de hac videndum erit. Conſtat autem transactionem fieri poſſe de omnibus rebus in commercio exiſtentibus, & arbitrio partium non exemtis. Vid. Franzk. *ad ff. tit. de transact. n. 15.* Cujus regulæ varias exceptiones ordine proponit Lauterb. *in C. Th. Pr. eod. tit. §. 19. & ſeqq. usque ad §. 26.* Quarum illa, quæ tamen à Lauterb. neglecta, ad ſcopum noſtrum facere videtur, quod videl. de BONIS OMNIBUS ac facultatibus ejus, cujus vita ac fortunâ in incerto eſt, qualis eſt, qui in hoſtium poteſtate *De Transactione & ejus objecto.*

exiſtit, tranſigi nequeat. *L. 4. C. de poſtl. reverſ.* Sed ne in medio, dum captus reverti ſperatur, pereat ejus ſubſtantia *L. 6. in f. ff. de tutel.* aut fraudibus creditorum ſive aliorum diſſipetur, à Magiſtratu Bonorum curator cum cautione dandus ſit. *L. 3. C. de poſtl. rev.* Carpzov. *p. 3. C. 15. D. 48.*

§. XC.

Transactio O. B. non reſcinditur ob res noviter repertas, de quibus lis non mota.

De cœtero transactionem de OMNIBUS BONIS aut litibus, vel de re univerſitatis non reſcindi ex eo, quod poſtea repertæ fuerint res, de quibus lis non mota, notant Struv. *Ex. 6. th. 64.* Perez. *in C. tit. de tranſ. n. 27.* cujus rei rationem ſubjiciunt, quod talis transactio omnia complectatur, etiam eas ſpecies, de quibus fortè cogitatum non fuit, ſi ex mente & verbis tranſigentium appareat, eos, ſi de iis mentio facta fuiſſet, tranſigere voluiſſe. *L. 29. C. de tranſ. L. 9. §. 1. L. 12. ff. eod.* Licet enim aliàs regula ſit, transactionem ad non cogitata non extendi. *L. 5. & 9. §. 1. ff. d. t.* Andr. Tiraq. *ad L. 8. C. de rev. don. in præfat. n. 123.* Wiſſenb. *ad ff. V. 1. D. 10. th. 10.* Si tamen petitio, ſuper quâ tranſigendum, & deciſio generalis ſit, transactio poſtea ad res omnes ſpeciales, ſub genere illo contentas, extenditur, etiamſi de his cogitatum non fuerit. *d. L. 29.* ibique Brunnem. In dubio enim videtur quis propter verba generalia in genere de omnibus cogitaſſe. Tiraq. *d. l. n. 120. in f.* Conf. Illuſtris Dn. Stryke *tr. de Jur. ſenſ. D. 10. C. 7. n. 15. & ſeqq.*

CAP. II.

De
BONIS OMNIBUS IN ACTIBUS ULTIMARUM VOLUNTATUM.

§. I.

Connexio.

Perluſtratis illis materiis, in quibus de BONIS OMNIBUS, quantum ad actus inter vivos, agitur, tranſitus nunc faciendus

endus ad actus ultimarum voluntatum. Comprehendit verò ultima voluntas generaliter ſumta non ſolum teſtamentum, ſed & Codicillum, donationem M. C. omnemque aliam de Jure ſubſiſtentem diſpoſitionem, de quibus ſingulis ordine videndum.

§. II.

Succeſſionis variæ diviſiones. Et primo quidem loco ſeſe offert materia ſucceſſionis ex teſtamento delatæ, quæ vel Juris Civilis, vel Juris prætorii, & illa rurſus vel univerſalis, vel ſingularis eſt. B. Dn. Brunnem. *R. P. W. tit. ff. qui teſt. fac. poſſ. qu. 1.* *Definitio teſtamenti.* Definitur autem teſtamentum *in L. 1. ff. d. t.* quod ſit voluntatis noſtræ juſta ſententia, de (omni) eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult. Etenim tanta eſt immortalis animæ in mortali corpore dignitas, ut poſt corporis interitum proroget Imperium, & reliquias cogitationum relinquat; Ut hinc toti humano generi, nihil eſſe poſſit aut jucundius, aut utilius, quam ut voluntas regnet in bonis omnibus â teſtatore relictis, etiam extincto corpore, nec majus eſt ſolatium fati, quam voluntas ultra fatum. Amad. Eckolt *tit. ff. qui teſt. fac. poſſ* §. *1.* Conf. *L. 1. C. de SS. Eccl.*

§. III.

Objectum teſtamenti. Unde apparet, Objectum teſtamenti eſſe OMNIA BONA â teſtatore relicta, tam mobilia, quam immobilia, tam præſentia, quam futura, imò & Emphyteutica, ſi hereditaria ſit Emphyteuſis; teſtator enim ſuper univerſis Bonis diſponere debet, ne pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedere videatur, contra *L. 7. ff. de R. J.* Wiſſenb. *ad ff. V. 1. D. 54. θ. 6.* Alienæ tamen res teſtamentariæ diſpoſitioni minimè ſubjacent, cum LL. XII. Tabb. licentiam concedant teſtandi de rebus ſuis, non etiam de alienis. Brunn. *c. l. qu. 10* Et hinc nec de bonis feudalibus vel Emphyteuticis, ſi ex pacto & providentiâ Emphyteuſis conſtituta, teſtamentum condere licebit. Vid. Eckolt. *d. l.* §. *25.*

§. IV.

Teſtamen- Cæterum teſtamenti factio, cum de genere permiſſorum

 ſit,

ti factio eſt de genere permiſſorum. ſit, nemini regulariter, nec O. B. ſocio, deneganda eſt, per *L. 1. C. qui teſt. fac. poſſ.* Niſi quis vel naturâ teſtari impediatur, vel Lege prohibeatur, de quâ materiâ eſt *t. t. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt.* In ſpecie vero prodigo, cui O. B. adminiſtratio interdicta, teſtandi de BONIS ſuis OMNIBUS licentiam ademtam eſſe, conſtat *ex §. 2. J. d. t.* quia quoad hæc nullam habere voluntatem, ſed furioſum eorum exitum facere videtur. *L. 12. in f. ff. de Curat. furioſ.* Conf. Perez. *in C. tit. qui teſt. fac. poſſ. n. 2.* Quod de Jure noſtro ad eum caſum etiam extendendum, etſi ſalubriter & prudenter poſteritati ſuæ conſuluerit, aut quicquam utiliter de Bonis ſuis omnibus diſpoſuerit. Licet enim contrarium expreſſe habeatur *in Nov. Leon. 39.* unde & diſſentiunt Cujacius *in L. 6. ff. de V. O.* & Carpzov. *p. 3. C. 6. def. 11.* Hæc tamen Nov. contra jura manifeſta nihil probat, nec etiam ubique recepta eſt. Perez. *d. l. n 3.* Richt. *dec. 43. n. 7.* Planè illud teſtamentum, quod ante interdictionem Bonorum factum, firmiſſimum robur habebit, etiam poſt interdictionem. *§. 2. J. quib. non eſt perm. fac. teſt.* Manz. *de teſt. valid. & inval. tit. 2. n. 82.*

Prodigus tamen teſtari nequit.

Ampliat.

Obſt.

Reſp.

§. V.

Nec Monachis. Porrò & illi, qui vel Bona nulla, vel non pleno jure ea habent, teſtari prohibentur: quales ſunt Monachi, qui eo ipſo, dum monaſterium ingrediuntur, ſtatim Abbatis poteſtati ſubjiciuntur, & BONA ſua OMNIA monaſterio relinquere tenentur, ſalvâ duntaxat liberis ſuis Legitimâ. *Nov. 5. cap. 5. & auth. ingreſſi C. de SS. Eccl.* Conf. Tiraq. *tr. le mort. ſaiſit le vif. præfat. decl. 6. n. 9. & p. 2. decl. 15. n. 25.* Niſi tamen ante monaſterii ingreſſum Bona omnia inter liberos diviſerint, ſibique filialem portionem, apud monaſterium manſuram, reſervaverint. *Nov. 123. cap. 38.* Perez. *in C. tit. de SS. Eccl. n. 16.* Pariter & Epiſcopi & Clerici, quamvis de bonis ſuis patrimonialibus, ante ſuſceptum ſacerdotium acquiſitis, liberè teſtari poſſint per *L. 34. & 50. C. de Epiſc. & Cler.* de Bonis tamen Omnibus poſt

Limit.

Idem in Epiſcopis & Clericis quoad bo-

poſt ordinationem quæſitis diſponere nequeunt, quia hæc Ecclesiæ potius intuitu, quam perſonæ reſpectu data cenſentur. *Nov. 131. cap. 13.* Æquum itaque eſt ad Eccleſiam redire, quod occaſione ejus profectum eſt, *cap. 7. x. de teſtam.* omnibusque modis proſpiciendum, ut Eccleſiaſtici ab inſatiabili opes congerendi cupiditate arceantur, & per vitam liberalitatem in pauperes exercere ſtudeant. Vid. Perez. *in C. tit. qui teſt. fac. poſſ. n. 21.*

na poſt ordinationē acquiſita.

§. VI.

De heredis inſtitutione.

Cum autem teſtamenti præcipua pars ſit heredis inſtitutio, quippe â quâ omnem ſuam vim atque firmitatem mutuatur & accipit, hinc de eâ plenius nunc agendum. Sunt vero heredes vel neceſſarii, vel voluntarii. Neceſſariò heredes inſtituendi ſunt liberi quicunque, ad minimum ſaltem in Legitimâ, aut nominatim exheredandi; *pr. J. de exhered. lib.* & quidem Jure novo, juxta præſcriptam *in Nov. 115.* formam, non aliter niſi per teſtamentum; Sola enim patris voluntas, filium exheredem eſſe debere, non ſufficit, niſi teſtamento expoſita fuerit. Mev. *p. 4. D. 183.* Undè ſi pater per donationem inter vivos OMNIA ſua BONA in extraneum transferat, & in illo Inſtrumento exprimat, filium ob verbera patri illata penitus excluſum eſſe debere, hoc tamen filio, licet per magiſtratum puniri poſſit, non noceret. Paſchalis *de patr. poteſt. p. 2. c. 5. n. 112.* Mev. *d. p. 4. D. 184.* Illuſtr. Dn. Stryke *in Prælect. de Cautel. Teſtam. cap. 5. §. 3.*

Heredum diviſio.

Liberi hodie per teſtamentum exheredandi ſunt.

§. VII.

Quod ſi deficiant liberi, aliæque perſonæ, quibus Legitima debetur, voluntaria plane eſt heredis inſtitutio, adeò ut teſtator pro lubitu qualemcunque heredem, de Jure non prohibitum; inſtituere poſſit, & quidem vel in aſſe, i. e. OMNIBUS BONIS poſt mortem relictis, vel in parte; Unde alius heres O. B. ſive univerſalis, alius particularis. Brunnem. *in R. P. W. tit. ff. de hered. inſt. qu. 8.* Ubi tamen probè obſervandum, heredem, etiam in minimâ hereditatis parte inſtitutum, nec co-

Heres eſt vel univerſalis vel particularis.

heredem habentem, integram hereditatem, omniaque Bona defuncti pleno jure capere, per. *L. 1. §. 4. L. 10. & 11. ff. d. t.* ob rationem *L. 7. ff. de R. J.* Quod & procedit, ſi duo in rebus certis inſtituti fuerint; hoc caſu enim res illas præcipuas habent, de cœtero verò in O. B. æqualiter ſuccedunt. *L. 9. §. 3. ff. eod.* Idem quoque obtinet in herede ex certo die vel tempore, vel usque ad certum diem vel tempus inſtituto, hic enim, diei vel temporis mentione detractâ, ne poſt illud tempus inteſtatus deceſſiſſe videatur defunctus, perpetuo heres erit. *§. 9. I. de hered. inſt. L. 34. ff. eod.* Conf. Vinn. *ad §. 5. I. d. t. n. 3.*

Heres ex certo die, vel usque ad certum diem perpetuo heres eſt.

§. VIII.

Elegans exindè quæſtio reſultat, ſi teſtator Cajum O. B. heredem inſtituerit usque ad certum tempus, & ex illo tempore, Sejum, utrum elapſo illo tempore Cajus heres eſſe deſinat, & Sejus univerſalis O. B. heres poſtea fiat? Affirmativam tenet. Dyn. *in L. 34. ff. de hered. inſt.* Verum cum ſucceſſio heredis continua eſſe debeat, nec ullo temporis ſpatio interrupta, adeò ut etiam ille, qui ad unicam ſaltem horam heres inſtitutus eſt, fictione juris in perpetuum heres eſſe cenſeatur, *L. 34. ff. de acq. vel om. hered.* non admittenda videtur hæc opinio. Verior itaque ſententia Bartoli *in d. L. hereditas. 34. col. 2. n. 4.* exiſtimantis, tempus utriusque inſtitutionis de medio ſubduci, & quemlibet heredem purè inſtitutum cenſeri, quem ſequitur Salicet. *in ead. L. col. 2. n. 6.* Licet ſententia Baldi *in L. extraneum 9. C. de hered. inſt. col. 2. n. 2.* ſtatuentis, primum heredem, usque ad certum tempus inſtitutum, eſſe heredem pleno jure & univerſaliter usque ad illud tempus, poſtea vero teneri totam hereditatem per fideicommiſſum ſecundo reſtituere, menti ac voluntati teſtatoris convenientior ſit. Vid. Wiſſenb. *ad ff. Vol. 1. D. 55. θ. 12.*

§. IX.

Sed quid dicendum, ſi univerſaliter in B. O. inſtitutus ad certum tempus, expreſsè ulterius heres eſſe pohibeatur? Diſpoſi-

poſitionem hanc non ſubſiſtere Bartol. *d. l.* aſſerit. Contrarium tamen rectius defendit Baldus *in L. hereditas 34. ff. de hered. inſt.* aſſerens, defuncti voluntatem hoc caſu, tanquam de Jure impoſſibilem, ſervandam non eſſe, ſed, ſublato tempore, puram remanere debere inſtitutionem. Quam ſententiam quoque confirmat Gomez. *tom. 1. var. reſ. cap. 2. n. 10.* Notanter tamen addendo: elapſo tempore ejusmodi heredem coheredi, ſi habeat, aut, ſi non habeat coheredem, ab inteſtato venienti, integram hereditatem reſtituere debere, quia in hujus favorem clauſula illa prohibitiva adjecta videtur.

§. X.

Heres extraneus ſub conditione qualicunque inſtitui poteſt.

Cœterum heredem extraneum ſub qualicunque conditione, ſive poteſtativâ, ſive caſuali, ſive mixtâ, inſtitui poſſe, expediti juris eſt, adeò ut ante conditionis eventum hereditas non deferatur; Vid. *tit. ff. de cond. Inſt.* Cui enim teſtator planè nihil relinquere poteſt, illi etiam quascunque conditiones præſcribere valet. Qu. itaque, ſi teſtator heredem aliquem inſtituerit O. B. & quidem in aliquâ eorum parte purè, in aliâ verò ſub conditione, utrum, ſi hic ex purâ inſtitutione hereditatem adeat, totius hereditatis heres ſtatim efficiatur? Quod omninò affirmandum, nec quantum ad alteram partem, ſub conditione relictam, implementum conditionis requirendum, quia fruſtra exſpectatur conditio, cujus eventus nihil operatur; ſive enim conditio verificetur, ſive deficiat, utroque caſu inſtitutus univerſalis B. O. heres erit, & quidem priori caſu, ex defuncti diſpoſitione, poſteriori vero, virtute Juris accreſcendi, ratione alterius partis purè ſibi delatæ. *L. 33. ff. de hered. inſt.* Quod tamen *ex L. 52. §. 1. ff. de A. vel O. H.* limitandum, niſi in parte conditionali ſubſtitutus vel coheres ipſi datus fuerit. Conf. *L. 27. pr. ff. de hered. inſt.* ibique B. Brunnem. *in Comm.*

Heres partim pure partim ſub conditione inſtitutus totam hereditatem conſequitur.

§. XI.

Quid ſi verò univerſaliter ſub conditione inſtitutus quis fuerit, quomodo conſulendum ipſi erit, ut interim, pendente con-

conditione, hereditatis poſſeſſionem conſequatur? De Jure Civili ſane nullum proditum eſt remedium, cum pendente conditione non ſit delata hereditas, adeoque nec jus quæſitum adeundi hereditatem, per *L. 13. ff. de A. vel O. H.* De Jure tamen Prætorio hoc caſu agnoſcere poterit bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, per quam non quidem jus vel dominium hereditatis conſequitur, benè tamen nudam & ſimplicem B. O. poſſeſſionem atque detentionem, eorundemque administrationem, tanquam Curator Bonis datus, ita ut purificatâ conditione pleno jure prædicta Bona habeat, eâ autem deficiente, hereditatem venientibus ab Inteſtato, vel ſubſtituto, vel alii, qui ex defuncti diſpoſitione ſuccedere debet, reſtituere teneatur. *L. 2. §. 1. & L. 6. ff. de bon. poſſ. ſec. tabb.* Wiſſenb. *Vol. 2. D. 13. θ. 11.* Anton. Gomez. *t. 1. var. reſ. c. 2. n. 13.* ubi ſubjicit, dictos textus, licet de filio tantum loquantur, ex communi tamen opinione ad quemlibet extraneum heredem, ſub conditione inſtitutum, extendendos eſſe, per *L. 10. ff. d. t.* eoque caſu adhuc hodiè hanc bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas maximè neceſſariam eſſe. Conf. Illuſtris Dn. Strykε *tr. de ſucceſſ. ab Int. D. 9. c. 4. θ. 38. & 39.* Hoc certum, heredem, pendente conditione decedentem, hereditatem ad heredes ſuos non transmittere, ſive agnoverit bon. poſſ. ſec. tab. ſive non, quia hæc jus inducendi, vel operandi transmiſſionem non tribuit. Bartol. *in L. Is poteſt 18. ff. de A. vel O. H.*

Heres ſub conditione inſtitutus poteſt petere bon. poſſ. ſec. tabb.

§. XII.

Atque hæc quidem obtinent, ſi unus tantum univerſaliter ſub conditione heres in O. B. â defuncto relictus, inſtitutus fuerit. Sed ponamus, duos heredes inſtitutos eſſe, unum purè, alterum ſub conditione; Qv. an interim pendente conditione heres purè inſtitutus totam hereditatem habeat, an verò tantum ſuam partem, & alter heres, ſub conditione inſtitutus, partem hereditatis reliquam, virtute bon. poſſ. ſec. tabulas? Neutrum ſimpliciter admittendum, ſed diſtinguendum, utrum teſta-

Aliud ſi teſtator duos heredes, unum purè, alterum ſub conditione, conjunctim inſtituerit.

teſtator conjunctim & ſimpliciter heredes eos inſtituerit, an verò disjunctim? Priori caſu heres purè inſtitutus pendente conditione totam hereditatem habebit, & ſi poſtea conditio extiterit, ſuccedet heres ſub conditione inſtitutus, in parte hereditatis ſibi relictâ; ſin autem defecerit, univerſa Bona penes heredem purè inſtitutum remanebunt. Poſteriori caſu purè inſtitutus ſuam tantum partem habebit, alteram verò ſub conditione inſtitutus, virtute bon. poſſ. ſec. tabulas. ut pendente conditione adminiſtrationem ſaltem habeat. Mich. Graſſ. *recept. ſent. §. bonorum poſſeſſio. qu. 29. n. 2. & 3.* Ant. Gomez. *t. 1. var. reſ. C. 2. n. 15.*

§. XIII.

De ſubſtitutione.

Hactenus circa primam heredis inſtitutionem occupati fuimus, ſequitur nunc ſecunda, quæ ſubſtitutio vocatur. Eſtque vel directa, quæ fit verbis civilibus & directis, qualia etiam ſunt, ſi teſtator dixerit: OMNIA BONA mea &c. vid. Graſſ. *d. tr. §. ſubſtitutio. qu. 4. n. 8.* Vel fideicommiſſaria, quæ expeditur verbis precariis ſive obliquis. Struv. *Ex. 33. th. 9.* Directa ſubſtitutio dividitur rurſus in Vulgarem, pupillarem, quaſi pupillarem & militarem. Struv. *Juriſpr. L. 2. tit. 19. aph. 3.* De quibus ſingulis pauca nunc pro Inſtituti ratione ſubjicienda erunt.

§. XIV.

De ſubſtitutione vulgari.

Vulgarem ſubſtitutionem quod concernit, nihil ferè hîc notabile, ad præſentem materiam faciens, occurrit, niſi unicum hoc, quod ſubſtitutio vulgaris, â patre filio facta, ſimpliciter ad OMNIA BONA non extendatur, ſed quantum ad Legitimam, filio neceſſariò relinquendam, invalida ſit. Licet enim Interpretes hic graviter inter ſe diſſentire notet Graſſ. *§. Legitima. qu. 38. n. 9.* Verior tamen eſt negativa ſententia, quam ipſe etiam approbat *§. ſuitas. qu. 10. n. 7.* quia in vulgari ſubſtitutione includitur illa conditio, *SI VOLUERIT*; Jam verò Legitima ſine conditione relinquenda, per *L. quoniam. 32. C. de*

Subſtitutio vulgaris filio facta quantum ad Le-

gitimâ nihil operatur. C. *de inoff. teſt.* Nec obſtat, quod conditio hæc facillima ſit, & ſolâ animi declaratione impleri poſſit. Poſſet enim contingere, ut ante hanc declarationem, verbis vel factis factam, filius decederet, atque ſic hereditatem ad ſuos heredes non transmitteret. *L. un. §. ſin autem. C. de Cad. toll.* Gomez. *t. 1. var. reſ. c. 11. n. 3.* Utut itaque certum ſit, ſubſtitutionem hanc quoad Legitimam nihil operari, in cœteris tamen B. O. ultra Legitimam relictis, utique locum habebit, quia usque ad hanc pater liberis teſtando præjudicare poteſt.

§. XV.

De ſubſtitutione pupillari. Sequitur pupillaris ſubſtitutio, quæ fit â patre, pupillo ſeu filiofam. impuberi, in caſum, quo in ætate pupillari deceſſerit; & quidem non tantum in Bonis â patre relictis, ſed & aliis filii BONIS OMNIBUS, etiam aliundè quæſitis; Brunnem. *in R. P. W. tit. ff. de Vulg. & pup. ſubſt. qu. 19.* adeò ut exiſtente conditione, pupillo videl. intra pubertatis annos decedente, ſubſtitutus in omnia demortui impuberis Bona, ſive â patre, ſivè aliunde profecta, pleno jure ſuccedat. *L. 10. §. 2. & 5. ff. de V. & P. S.* Struv. *Ex. 33. th. 27. & ſeq.* Etiamſi in re certâ impuberis pupillaris ſubſtitutio facta ſit; nam & hoc caſu O. B. hereditatem obtinet ſubſtitutus, per *L. coheredi. 41. §. f. ff. d. t.* Carpzov. *p. 3. C. 8. def. 12.* Sicuti enim Inſtitutio directa, facta in re certâ, ad univerſa bona in hereditate contenta extenditur, per *L. 1. §. ſi ex fundo. ff. de hered. inſt.* ita & ſubſtitutio in re certâ, nullo alio coherede dato. Modò verbis directis, non obliquis, teſtator uſus fuerit; verba enim obliqua, rei vel certæ parti adjecta, ad O. B. minimè extenduntur, per *L. 16. §. 2. ff. ad SCt. Treb.*

§. XVI.

Per ſubſt. Pup. excluditur mater, eti- Per hanc pupillarem ſubſtitutionem autem matrem â ſucceſſione filii excludi, ſatis conſtat *ex L. Papinianus. 8. §. 5. ff. de inoff. teſt. L. 8. C. de imp. & al ſubſt.* Utrum verò hoc ipſum etiam ad Legitimam, matri ex bonis defuncti filii debi-

tam

tam, extendendum ſit? vehementer controverſum eſt. Negativa verior videri poſſet, ex ratione, quod ille, qui actum nomine & ex perſonâ alterius ſuſcipit, non poſſit plus, quam ille, cujus nomine actum illum gerit, per *L. 51. ff. de procurat.* Atqui verò pater ſubſtitutionem pupillarem facit pro filio & in hereditate ejus. Ergo non poteſt præterire matrem, ſicut nec filius poterat. Menoch. *de præſumt. Lib. 4. cap. 38.* Finckelth. *obſ. 29.* Verum Reſp. patrem hic non teſtari pro filio & nomine filii, ſed nomine proprio, licet ex privilegio & vigore patriæ poteſtatis ſibi competentis teſtetur etiam de bonis filii; *§. 1. I. de pup. ſubſt.* patri autem nulla neceſſitas impoſita, ut uxori Legitimam relinquat. Carpzov. *p. 3. C. 8. def. 1.* Illuſtris Dn. Stryke *in Prælect. de Caut. teſt. cap. 4. §. 11.* Undè ſinè dubio affirmativa ſententia Juri noſtro convenientior eſt, quam probat expreſſus textus *in d. L. Papinianus.* ubi teſtamentum filii impuberis per quærelam matris ideò impugnari negatur, quia pater ei hoc fecit. Denegatâ itaque matri querelâ, neceſſe quoque eſt denegari ipſi Legitimam, quia querela non datur niſi iis quibus legitima debetur. Facit etiam huc *L. 8. C. de imp. & al. ſubſt.* ubi pupillaris ſubſtitutio matrem ſimpliciter ab omnibus Bonis excludit. Et denique omnium optimè dictam ſententiam confirmat *cap. ſi pater. 1. de teſtam. in 6to.* Ubi ſubſtitutus pupillaris excluſâ matre, etiam â legitimâ, ad O. B. defuncti impuberis admittitur, additâ hac ratione, quod licet filius in teſtamento ſuo matrem portione Jure Naturæ debitâ privare non poſſit, patri tamen hoc ipſum, in teſtamento impuberi filio facto, liceat. Accedit illa ratio, matri nunquam legitimam deberi, niſi ex bonis, quæ liberi actu jam poſſederunt. *arg. Nov. 115. cap. 4.* Eo autem tempore, quo pater filio impuberi teſtamentum condidit, nec filius Bona ſua actu poſſedit; Ergo nec mater jus radicatum in Bonis illis habuit. Vid. omninò Ant. Gomez. *t. 1. var. reſ. c. 4. n. 7.* Fachin. *L. 4. contr. cap. 42.* Quod tamen de Legitimâ dictum, ad portionem ſtatutariam *an* â Legitimâ. *Non* au-

I 2 neu-

tem à portione ſtatutariâ. nentiquam extendendum eſt ; hanc enim uxor non ex filii, ſed mariti bonis petere, eamque maritus nulla unquam ſubſtitutione minuere poteſt. Illuſtris Dn. Stryke *d.* §. *11. in f.* Niſi Omnia Bona ſtatutum deferat, & expreſsè in caſum inteſtati conceptum ſit. B. Dn. Brunn. *in R. P. W. tit. ff. Und. vir. & ux. qu. 5.* Struv. *Ex. 38. §. 40.*

§. XVII.

Arrogator pupillariter ſubſtituere nequit. Ultimo notandum, ea, quæ ſupra de patre pupillariter ſubſtituente aſſeruimus, procedere ſaltem in patre naturali, non verò Civili, ſivè arrogatore ; Etenim hic arrogato impuberi in B. O. quæ ad ipſum tranſtulit, & quorum commodum ei poſtea acquiſivit, pupillariter ſubſtituere non poterit, per *L. 22. §. 1. ff. de adopt. & L. 10. §. 6. ff. de V. & P. S.* ne ſubſtituendo ſe liberet ab obligatione, bona reſtituendi iis, quibus fidejuſſoribus datis reſtitutionem promiſit. Vid. *L. 18. ff. de adopt.* Excipitur

Except. tamen ſola quarta, & bona quæ beneficio arrogatoris, vel ejus intuitu, adeptus eſt. Neque obſtat, quod ſic pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus deceſſiſſe videatur arrogatus ; Agnatis quippè bona reſtituuntur, non ut ab inteſtato, ſed ex obligatione. Hillig. *L. 6. cap. 15. lit. g.* Fideicommiſſaria autem ſubſtitutio ne quidem in quartâ locum habet, cum hanc non ex judicio defuncti, ſed ex principali providentiâ, D. Pii videl. conſtitutione, habeat, *L. 22. §. 1. in f. ff. de adopt.* & arrogator eam quaſi æs alienum relinquere teneatur. *L. 8. §. 15. ff. de inoff. teſt.*

§. XVIII.

De ſubſtitutione quaſi pupillari. De Exemplari ſive quaſi pupillari ſubſtitutione eadem ferè dicenda occurrunt, quæ de pupillari modo propoſuimus ; Nam & hic pater filio, puta mente capto, furioſo, prodigo &c. de OMNIBUS ejus BONIS teſtamentũ condere, inque eo exemplariter ſubſtituere poterit, ita, ut exiſtente conditione ad ſubſtitutum, pariter ſicuti in pupillari ſubſtitutione, Omnia Bona filii pleno jure tranſeant, per *L. humanitatis. 9. C. de imp. & al.*

& al. ſubſt. Amad. Eckolt. *tit. ff. de V. & P. S.* §. 31. Graſſ. *recept. ſent.* §. *ſubſtitutio. qu. 50. n. 3.* Saltem quantum ad filium prodigum, O. B. adminiſtratione per judicis ſententiam privatum, cum hujus *in d. L. 9.* mentio non fiat, dubitant, utrum & huic pater, mater vel aſcendens exemplariter ſubſtituere poſſit? Ratio dubitandi eſt, quod *d. L. 9.* ſit nova & correctoria, adeoque ultra caſus in eâ expreſſos non extendenda. Accedit prodigum culpâ ſuâ in eum caſum incidiſſe, & prodigalitatem vitium magis, quam morbum eſſe; Unde & eo caſu, ubi pater filio prodigo exemplariter ſubſtituere cupit, ſpeciali Principis impetratione adhuc hodiè opus eſſe, aſſerit Perez. *in C. tit. de imp. & al. ſubſt. n. 36.* Verum enim vero cum prodigus perpetuò in Jure noſtro furioſo & mente capto æquiparetur, *L. 12. in f. ff. de curat. furioſ.* & hinc nec contrahere, nec teſtari poſſit, ſed curatoris auxilio regendus ſit, imò & prodigalitas â maximâ quadam dementiâ proveniat, ſequitur, idem, quod de furioſo *in d. l. 9.* ſtatutum, ad prodigum quoque extendendum eſſe, præſertim cum accuratè loquendo hic non fiat interpretatio extenſiva, ſed comprehenſiva, de quâ latius videri poteſt Franzk. *tit. ff. de LL. n. 44. & ſeqq.* Alia ratio in cœco, utpote cui nec intellectus, nec facultas de bonis ſuis omnibus teſtandi deficit. Illuſtris Dn. Stryke *tr. de Jur. ſenſ. D. 2. c. 3. n. 49. & ſeq.*

Qv. an etiam prodigo Exemplariter ſubſtitui poſſet?

Quid de cœco dicendum?

§. XIX.

Cum verò hic aſcendentium quilibet, tam pater, quam mater exemplariter ſubſtituere poſſit, quia ſubſtitutio hæc non jure poteſtatis, ſed humanitatis & pietatis intuitu, quæ in omnibus parentibus æqualis, introducta eſt, per *d. L. humanitatis, 9. C. de imp. & al. ſubſt.* Qv. exindè, ſi uterque parens ſimul ſubſtituerit, cujus ſubſtitutio prævaleat & præferenda ſit? Et Reſp. ex communi DD. opinione attendendam eſſe cujusque diſpoſitionem in Bonis â parente ſubſtituente profectis, ita ut patris ſubſtitutio præferatur in bonis paternis & ex pater-

Quid ſi pater & mater ſimul exemplariter ſubſtituerint?

paternâ lineâ profectis, ſubſtitutio matris, in Bonis materno & materni generis, in Bonis vero Omnibus filii labore & induſtriâ acquiſitis, patris diſpoſitio prævaleat, ſi in poteſtate filium habeat; ſin vero in poteſtate ipſum non habeat, uterque ſubſtitutus æqualiter admittatur. Struv. *S. J. C. Ex. 33. θ. 35.*

§. XX.

De ſubſt. militari.

Subſtitutionem denique militarem ſive privilegiatam fieri à milite, liberis quibuscunque, in quemcunque caſum, & qualitercunque heres defecerit, deque OMNIBUS BONIS, etiam non caſtrenſibus, patet *ex L. Centurio 15. ff. de V. & P. S. & L. 8. C. de imp. & al. ſubſt.* Struv. *d. Ex. 33. θ. 38. & Juriſpr. L. 2. tit. 19. aph. 19.* Adeò ut omni tempore jure directo ſubſtitutio hæc valeat, & quidem intra pupillarem ætatem, ut pupillaris, admiſſo ſubſtituto ad O. B. tam ipſius filii impuberis, quam etiam patris ſubſtituentis; poſtea vero omni alio tempore, ut directa militaris, ex privilegio ſpecialiter militi conceſſo, admiſſo ſubſtituto ad bona à patre tantum profecta, per *d. L. centurio. 15.* ibique Brunn. *in Comment. n. 1. & 2.* Quod ſecus in pagano hoc modo ſubſtituente, ubi ſubſtitutio, intra pupillarem quidem ætatem, valet ut directa pupillaris, & admittitur ſubſtitutus ad O. B. ipſius filii impuberis & patris; poſtea vero nullo modo ſubſiſtit, neque ut directa pupillaris, neque ut obliqua ſive fideicommiſſaria, quia hæc ſub verbis directis regulariter non continetur. Struv. *dd. ll.* Anton. Gomez. *tom. 1. var. reſ. cap. 7. n. 4.*

Quid ſi paganus militarem ſubſtitutionem fecerit?

§. XXI.

De fidei-com. ſubſtitutione.

Jam ad fideicommiſſariam ſubſtitutionem (generalius ſumto ſubſtitutionis vocabulo. V. Coll. Jur. Arg. *tit. ff. de V. & P. S. th. 3.*) deveniendum, quæ pro diverſitate fideicommiſſi vel particularis eſt, vel univerſalis. Univerſale fideicommiſſum eſt, cum heres inſtitutus rogatur, ut hereditatem totam, OMNIAq; BONA in illâ contenta, vel partem ejus quotam alteri reſtituat. Qualis autem heres ſit, qui fideicommiſſo gravetur,

Filius gra-

vetur, ſuus an extraneus, nihil intereſt; modo filio gravato Legitima, & juxta J. Canon. diſpoſitionem, *in cap. Raynutius. & & cap. Raynaldus. X. de teſtam.* ſimul Trebellianica ſalva maneat, quoad hanc enim nec univerſali nec particulari fideicommiſſo gravari poterit, ſed ipſo jure de Legitimâ gravamen rejicietur. Gomez. *d. tom. 1. cap. 11. n. 25.* Quod ſecus in pupillariter ſubſtituto, vel ab Inteſtato veniente, qui non tantum in Legitimâ filii, quam â patre habuit, ſed & in omnibus aliis filii Bonis propriis gravari poteſt. Graſſ. *Recept. ſent. §. fideicommiſſum. qu. 6. n. 3.*

Gravari quidem poteſt fideic. ſed non quoad Legitimã. Secus in pupillariter ſubſtituto.

§. XXII.

Cœterum heres Univerſaliter inſtitutus & fideicommiſſo gravatus, non tantum hereditatem totam, ſed & fructus, ante hereditatem aditam perceptos, reſtituere debet, per *L. 27. §. 1. ff. ad SCt. Treb.* de fructibus verò, poſt aditam hereditatem perceptis, regulariter non tenetur. *L. 18. pr. & §. 2. ff. d. t.* Hinc ſi poſt heredis fiduciarii mortem ex defuncti diſpoſitione hereditas reſtituenda ſit, nec fructus extantes reddere rogatus cenſetur, licet teſtator dixerit: Omnia mea Bona reſtituas, ſeu quicquid ex bonis meis ad te pervenerit. *L. 57. pr. eod. & L. 83. ff. de Leg. 3.* Struv. *S. J. C. Ex. 36. θ. 34.* Aliud hoc caſu obtinet, quoad Bona, quæ ex pupillari ſubſtitutione heres gravatus habuit, & quoad prælegata, uni ex heredibus, quem fideicommiſſo teſtator obſtrinxit, relicta; Ubi, ſi teſtator expreſsè voluerit, ut heres gravatus Omnia bona, vel omnia quæ habet, & â defuncto relicta ſibi ſunt, reſtituat, indiſtinctè Bona omnia, etiam ex pupillari ſubſtitutione profecta, & quæ tanquam prælegata relicta fuerunt, reſtituenda veniunt, per *L. 92. §. f. & L. 93. ff. de Leg. 1.* Idem procedit, ſi ſimpliciter hereditatem reſtituere juſſus, coactus eam adierit, *L. 27. §. 2. ff. ad SCt. Treb.* vel ſponte quidem adierit, ſed pupillaris ſubſtitutio, aut prælegatum, ante gravamen vel fideicommiſſum impoſitum, factum

Heres fiduciarius etiam fructus reſtituere debet.

Et bona quoq; ex pupillari ſubſtitutione profecta, ut & prælegata.

fuerit;

fuerit ; Nam & eo caſu Omnia Bona, tam teſtatoris, quam pupilli; tam titulo univerſali, quam ſingulari relicta, in fideicommiſſariam reſtitutionem venient. *arg.L.3.§.4.ff.d.t.* Conſ. Wiſſenb. *ad ff. V.2.D.9.θ.18.* & omnino Gomez. *tom. 1. var. reſ.cap.5.n.17.& 18.* Graſſ. *Recept. Sentent.§.fideicommiſſum. qu.47.n.4.& ſeqq.& qu.48.n.1.& 2.*

§. XXIII.

Juramentũ defuncti heredibus præjudicat.

Antequam ad Legata, cœterosq; ultimarum voluntatum actus deveniamus, paucis adhuc illud ſingulare, *ex Nov.48.& inde deſ.auth.Quod obtinet.C.d.probat.* tangendum; quod videl. Juramentum ab Agonizante præſtitum, OMNIUM BONORUM ſummam determinans, adeò heredibus præjudicet, ut ſi, ſpretâ hac juratâ defuncti determinatione, in alia quoque bona inquirere voluerint, in pœnam non ſervatæ voluntatis defuncti, iis Omnibus Bonis cadant, quæ alioquin ex hereditate percepturi erant. Secus verò ſe res habet quantum ad creditores, quibus prodeſſe quidem ſed nocere non poteſt jurata ejusmodi defuncti aſſertio, ſicuti clarè ita deciſum eſt *in cit. Nov.48. cap.1.§.1.* ubi ratio: Quod ea, quæ pro ſe quisque dixerit, aut ſcripſerit, nihil ipſi proſint, neque creditoribus præjudicent. Planè injurata moribundi aſſertio, de quantitate patrimonii, ne heredibus quidem præjudicat, quia magis errando quam volendo dixiſſe videtur; Niſi verbis præceptivis uſus fuerit teſtator, de quâ materiâ prolixè egit Magnificus Dn. Præſes *in diſſ. de Effatis Agonizantium. cap.2.per tot.*

Non vero creditoribus.

§. XXIV.

De Legatis.

Ad Legata nunc progreſſus faciendus, breviterque videndum, quænam hîc argumento noſtro inſerviant. Quamvis autem Legatum communiter inter modos acquirendi rerum dominii ſingulares referatur, nihil tamen obſtat, quo minus & Bonorum univerſitas per hunc titulum transferri & acquiri poſſit. *L.39.ff. de V.& P.S.* Struv. *Ex.35.th.13.* Imò ex *pr.I.de L.Falcid.* apertè conſtat, olim Lege XII. Tabb. teſtatoribus

O.B. legari poſſunt.

OMNIA

OMNIA omninò BONA, univerſumque patrimonium in alterum Legati titulo transferre conceſſum fuiſſe, ita, ut heredi, præter onus & moleſtiam æris alieni, nihil commodi relinqueretur; ſic enim eâ Lege ſimpliciter cautum erat; *Uti quisq. legaſſit ſua rei, ita jus eſto.* Conf. *L. 120. ff. de V. S.* Verum cum hoc ipſum teſtatoribus maximè noxium eſſet, ac publicè Intereſſe exiſtimaretur, ſupremas hominum voluntates conſervari; *L. 5. ff. teſt. quem. ap.* Utile Reipubl. viſum fuit, juſto aliquo lucro heredes ad hereditatem adeundam invitari, ne ſuprema morientium judicia everterentur, atque hinc L. Falcidiâ nimia illa legandi licentia coarctata, & expreſsè cautum fuit, plus, quam dodrantem OMNIUM BONORUM, in poſterum legare non licere. *d. pr. J. de L. Falcid.*

§. XXV.

Heredi tamen ſalva debet eſſe Falcidia.

Quod ſi itaque teſtator quartam Bonorum Omnium partem heredi ſalvam illibatamque relinquat, non dubitandum eſt, quin adhuc hodie cœtera Bona Omnia Legatis exhaurire valeat. Quo caſu, ſi vel Bona ſimpliciter, vel Bona ſua, vel O. B. ſua legaverit, non tantum mobilia & immobilia, præſentia & futura, ſed & jura & actiones legaſſe cenſebitur, per *L. 30. §. 1. ff. ad SCt. Treb.* Tiraq. *tr. ad L. 8. C. de rev. don. Gloſſ. Bona. n. 8. & ſeqq.* Aliud ſi Bona Omnia, mobilia & immobilia, vel certo loco contenta, reliquerit, tunc enim jura & actiones, quarum fortè Inſtrumenta vel debitores in eo loco ſunt, non continebuntur. Struv. *Ex. 35. th. 13. n. 2.* Tiraq. *d. n. 8. & n. 13.* Graſſ. *recept. ſent. §. Legatum. qu. 19. n. 1. & ſeqq.*

§. XXVI.

O. B. uſusfructus legari poteſt.

In ſpecie verò de uſufructu legato obſervandum, legari poſſe uſumfructum OMNIUM BONORUM, ſive omnium rerum, quæ in patrimonio ſunt, & unde aliqua utilitas, aut commoditas qualiscunque percipi poteſt, ſive mobiles ſint, ſive immobiles, corporales vel incorporales. *§. 2. J. de Uſufr. L. 37. ff. de uſufr. leg.* Dummodò dodrantis æſtimationem uſus-

K fructus

fructus hic non excedat, (Falcidia quippe heredi ſalva eſſe debet. Vid. Hahn. *ad tit. ff. de uſufr. leg. n. 2.*) nec legitimam liberorum, vel ſtatutariam portionem, aut bona fideicommiſſo obnoxia, oneret. *L. 29. & 34. §. f. ff. de uſufr. Nov. 18. c. 3.* Atque hic univerſorum Bonorum uſusfructus in eo utilior eſt, uſufructu ſingularum rerum, v. g. ædium, legato, quod hic, ædibus uſufructuariis incendio fortè conſumtis, earum uſusfructus ſpecialiter legatus peti nequeat; Omnium verò bonorum uſufructu relicto, areæ adhuc uſusfructus debeatur, quia legato tali uſufructu omnis ſubſtantia continetur. *d. L. 34. §. f.* Undè Comm. DD. colligunt, legato O. B. uſufructu, legata etiam cenſeri bona, poſt factum teſtamentum acquiſita. *L. 37. §. 8. ff. de Leg. 1. §. 18. & 19. J. de Legat.* Legat enim teſtator uſumfructum O. B. quæ relinquit, in quorum numero ſanè ſunt, etiam poſt teſtamentum, ante mortem teſtatoris, acquiſita. Gloſſ. *ad d. L. 34. §. f.* Nec obſt. *L. 7. ff. de aur. arg. &c.* Loquitur quippe hæc lex de Legato indefinito, non de univerſali; Hinc diſtinguendum, an teſtator dicat: Omnium Bonorum uſumfructum do, lego; an, Omnium *meorum* Bonorum? Priori caſu tempus mortis & tota ſubſtantia reſpicienda: Poſteriori vero, juxta *d. L. 7.* tempus facti teſtamenti. Conf. Bachov. *ad Tr. V. 2. D. 13. θ. 4. lit. b. p. 800.* Ex quibus obiter obſervandum, in Obligationibus ſemper utilius eſſe, promittere ſub hypothecâ bonorum, quam ſub hypothecâ bonorum *meorum*, quò eo facilius futura comprehendantur. Illuſtr. Dn. Stryke *in dict. ad Brunn. R. P. W. tit. ff. de uſufr. leg. qu. 2. in f.*

Ita ut etiam futura comprehendantur.

§. XXVII.

Quænam ſub uſufr. O. B. contineantur?

Quænam vero in uſufructu O. B. ulterius veniant, de eo vid. Card. Mantica *de Conj. ult. vol. L. 9. t. 6.* Equidem pertinere etiam huc uſumfructum Kalendarii, i. e. fœnebris pecuniæ, defuncto debitæ, & ſic quoque activorum nominum, eorumq; omnium, quæ renaſcuntur, ut & eorum Bonorum, quæ ex fideicommiſſo heredi reſtituere obligatus erat teſtator, probavit

Struv.

Struv. *Ex.35. th.36.* Conf. Diod. Tulden. *in Comm. Cod. tit. de uſufr. n. 4.* Modo, uti dictum, heres ſit teſtatori, cui fideicommiſſum reſtituere debeat, hic enim ad factum defuncti præſtandum obligatus eſt, per *L.149. de R. J.* Menoch. *de præſumt. L. 4. præſ. 142. n. 12.* Alias contrarium verius videtur, cum Graſſ. *recept. ſent. §. Legatum. qu. 27.*

§. XXVIII.

Uſusfr. O. B. uxori relictus ad alimenta non eſt reſtringendus.

Illorum ſanè ſententia probanda non videtur, qui exiſtimant, uſufructu O. B. uxori relicto, liberis exiſtentibus, alimenta duntaxat fructuariæ ex hereditate præſtanda eſſe, ex ratione, quod non veriſimile ſit, teſtatorem voluiſſe filiis inane & inutile heredis nomen relinquere, in quâ ſententia, præter alios, ſunt Mynſ. *5. obſ. 137.* Gail. *2. obſ. 144. aliique.* Sed rectius, meo judicio, ſentire videntur, qui aſſerunt, Legitimam pleno jure, i. e. tam quoad proprietatem, quam quoad uſumfructum, liberis deberi; *Nov.18. c.3.* reliquorum autem Omnium Bonorum teſtatoris uſumfructum, deductis Legatis, ad uxorem pertinere, per *L.37. ff. de uſufr. leg.* Illuſtris Dn. Lyncker. *in Anal. ad Struv. S. J. C. Ex. 12. th. 8.* Conf. Fachin. *L.5. contr. cap. 47.* Tulden. *in C. tit. ſi ſec. nupſ. mul. n.3.* Gomez. *t. 1. var. reſ. cap. 11. n. 26.* Hoc interim certum, ad heredes uxoris uſumfructum hunc non tranſire, cum jus ſit perſonaliſſimum, adeoque cum perſonâ extinguatur? Pariter ſicuti nec Legatum redituum OMNIUM BONORUM mariti, uxori relictum, ipſius heredibus debetur, quia quaſi uſusfructus hic conſtitutus videtur. *L. 22. ff. d. t.* Brunn. *R. P. W. eod. qu. 4.*

§. XXIX.

Quid ſi uxori uſufr. O. B. legatus & poſt

Utrum verò O. B. uſufructu uxori legato, & poſt mortem ejus alio herede inſtituto, legatum hocce ſubſiſtat? dubium eſt, ex eo, quod uſusfructus legatum non cedat prius, quam ex die aditæ hereditatis; Atqui verò hereditas adiri nequit, niſi mortuâ uxore, quo tempore uſusfructûs extinguitur, &

 hinc

mortem ejus alius heres inſtitutus fuerit?

hinc præſtari non poteſt. Affirmativa tamen ſententia omninò verior videtur, quia in propoſito caſu conditionalis non eſt heredis inſtitutio, ſed ex mente teſtatoris in proprietate purè facta intelligi debet; Dum enim hic uſufructuariam voluit uxorem, videtur etiam voluiſſe puram Inſtitutionem, utpote ſine quâ legatum ſubſiſtere nequit. Quod autem mortis tempus adjectum fuerit, hoc ideo factum cenſetur, ne uxor interim in uſufructu ab herede turbetur; neutiquam vero ad impediendam puram Inſtitutionem. Vinn. *ad §. 9. I. de hered. inſt. n. 7.* Fach. *L. 4. contr. cap. 18.*

§. XXX.

Alteri fundo, alteri ejuſdẽ uſufr. legato, uterque in uſufr. concurrit.

Cœterum alteri fundo, alteri ejusdem fundi uſufructu legato, utrumq; in uſufructu concurrere, licet fortè alia teſtatori mens fuerit, expreſsè deciſum eſt, *in L. 19 ff. de uſufr. leg.* An autem deciſio *h. L.* in O.B. uſufructu locum ſibi quoq; vindicet? disquirendũ. Sunt, qui affirmativæ, ſunt etiã, qui negativæ ſententiæ ſubſcribunt, quos citatos vide, ap. Brunnem. *ad d. L. 19. n. 3. 4. & 5.* Nobis hac parte diſtinguendum videtur, an utrumq; Legatum univerſale, an verò alterum eorum univerſale, alterum particulare fuerit? Prioris exemplum eſt, ſi teſtator uni Omnia Bona, alteri eorundem uſumfructum relinquat; tunc enim utrumque in uſufructu concurrere, verius videtur; ſin autem teſtator uni O. B. uſumfructum, alteri rem particularem, vel uni omnia bona, alteri certi alicujus fundi uſumfructum relinquat, nullus in uſufructu concurſus admittendus eſt, ſed priori caſu, in certâ re inſtitutus plenum ejus rei dominium habebit, nec uſumfructum in illâ prætendere poterit uſufructuarius Omnium Bonorum; poſteriori caſu pariter, cui O. B. relicta, in fundo illo, cujus uſusfructus alteri conceſſus, præter nudam proprietatem, nihil juris conſequetur. Struv. *Juriſpr. L. 2. tit. 24. aph. 7.* Mich. Graſſ. *recept. ſent. §. Legatum. qu. 25. n. 1.*

§. XXXI.

Nec ad æs

Numnè verò ad æs alienum exſolvendum, vel Legata

præ-

præſtanda, uſufructuarius O. B. tenebitur? Priorem quæſtionem quod attinet, quatuor hic diverſas DD. ſententias refert Fachin. *L. 4. contr. cap. 19.* Inter quas illam defendere placet, quæ heredi exſolutionem æris alieni injungit, quia ad hunc, tanquam univerſalem ſucceſſorem, hereditaria, adeoque etiam æris alieni, onera pertinent. *L. 2. C. de hered. vel act. vend. L. 26. C. de pact.* Gail. *2. obſ. 146.* Cum itaque O. B. uſufructuarius, heres non ſit, nec heredis loco habeatur, ſed pro ſingulari ſucceſſore reputetur; ſequitur exindè, nec eum ad æs alienum ſolvendum obſtrictum eſſe, ſed, uti dictum, ſoli heredi onus hocce incumbere, ita tamen, ut prius ex Bonis, antequam uſufructuario ea tradat, æs alienum deducere valeat, quia bona, niſi deducto ære alieno, non intelliguntur. *L. 39. §. 1. ff. de V. S.* Ut hinc per indirectum ſaltem uſufructuarius incommodum ſentire videatur. *L. f. ff. de uſufr. leg.* Carpz. *p. 3. C. 13. D. 8.* Quod ſecus in illo, cui Lege uſusfructus bonorum conſtitutus eſt, ut patri in bonis liberorum adventitiis, qui Legata dependere, & æs alienum diſſolvere jubetur. *L. f. §. 4. C. de bon. qu. lib.* Wiſſenb. *ad ff. tit. de uſufr. leg. θ. 6.* Quæſtionem poſteriorem quod concernit, idem dicendum eſſe exiſtimamus, cum Legata ex quaſi contractu debeantur, quem heres, adeundo hereditatem, cum legatariis iniiſſe cenſetur. Diſtinguendum tamen, an quantitas, an vero ſpecies legata ſit? Sin prius, legatum ſolvendum eſt tam de proprietate, quam de uſufructu, i. e. deduci debet quantitas illa ante conſtitutum uſumfructum, per *L. 69. ff. ad L. falcid.* Sin poſterius, uſufructuarius cum Legatario concurrit, per *L. 33. ff. de uſufr. leg.* Brunn. *ad L. f. ff. eod.* Aliter Perez. *in C. tit. de uſufr. n. 19.* Planè annua legata ex fructibus ſolvenda eſſe, ſi reditus ſufficiant, patet *ex d. L. f. §. 4. C. de bon. qu. lib.* Gail. *2. obſ. 146. n. 8.*

alienum, nec ad Legata præſtãda uſufruct. O. B. tenetur.

§. XXXII.

Denique notandum, O. B. uſumfructum, ratione eorum, quæ uſu non conſumuntur, proprium, ratione verò eorum

Uſusfr. O. B. partim

proprius, partim improprius eſt. tum, quæ uſu conſumuntur, improprium eſſe, adeoque etiam utriusque intuitu fidejuſſoriam vel pignoratitiam cautionem præſtari debere. Brunn. *in R. P. W. tit. ff. de uſufr. ear. rer. &c. qu. 3.* Niſi donator Omnium Bonorum ad dies vitæ eorundem uſumfructum ſibi reſervaverit; hic enim à præſtatione fructuriæ cautionis penitus immunis erit, quia mitius cum eo agendum, qui ex liberalitate ſuâ convenitur. *L. 62. ff. de Ædil. Edict.* *Wiſſenb. ad ff. V. 2. D. 16. th. 11.*

§. XXXIII.

Legatarius in O. B. mitti poteſt. Illud adhuc, quoad Legatorum materiam, obſervari meretur, legatarium pro tuendâ re legatâ, etiam minimâ, ſi heres legatorum nomine ſatisdare nolit, in defuncti, & poſt 6. menſes, heredis quoque, OMNIA BONA mitti poſſe, per *L. 5. ff. ut in poſſ. legat. &c.* ita ut jure prætorii pignoris eadem poſſidere, ac cuſtodire queat, donec heres tædio affectus cautioni ſemet offerat. *d. L. 5. pr.* Et quamvis DD. Comm. exiſtiment, mutatum hoc eſſe, per *Nov. 53. cap. 4.* De hac tamen mutatione jam tum ſupra dubitavimus, cum verba *d. Nov. ſecundum menſuram debiti &c.* non referenda ſint ad modum & quantitatem illarum rerum, in quas miſſio decernitur, ſed ad finem & effectum misſionis. Wiſſenb. *ad ff. V. 2. D. 10. th. 11.* Meier. *in C. J. A. tit. ff. ut in poſſ. leg. &c. th. 4.*

§. XXXIV.

De donat. m. c. Abſolutis iis, quæ in Legatorum materiâ ad Scopum noſtrûm facere videbantur, ad mortis causâ donationes, utpote quæ ad exemplum legatorum per omnia ferè redactæ ſunt, per *§. 1. J. de donat.* & *L. f. C. de donat. m. c.* progredimur. Ubi probè notandum, quod licet DD. comm. ac Practici donationem O. B. inter vivos factam, invalidam eſſe aſſerant, ex eo, quod liberam teſtandi facultatem adimat, idem tamen de mortis causâ donatione aſſerere non audeant, cum hæc, utpote quotidiè revocabilis, teſtamenti factionem haud quaquam impediat. Certisſimi itaque juris eſt, per hanc donationem m. c.

O. B. mor-

OMNIA

OMNIA BONA, mobilia & immobilia, præſentia & futura, imò & jura & actiones transferri pro lubitu poſſe. *L. 17. ff. de donat. m. c.* Ita, ut nec judiciali inſinuatione, etiamſi quingentorum aureorum ſummam excedat, opus habeat; *L. f. C. eod.* Struv. *Ex. 40. th. 24.* quia nulla hic ex parte donantis læſio metuenda eſt, quippe qui, vel ſolâ pœnitentiâ ductus, integram donationem quovis tempore retractare poteſt. *d. §. 1. J. de donat.* Falcidia tamen hoc caſu ab herede ſcripto, vel ab Inteſtato veniente, detrahi poteſt, cum donatarius eo ipſo, quod O.B. præſentia & futura conſecutus fuerit, heres non fiat, ſed Legatarii loco habeatur. *L. 5. C. ad L. Falcid. L. 2. ff. de don. m. c.* Conf. Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 4. n. 17.* Niſi in ſpecie Falcidiæ detractio â donatore vetita fuerit, quod pro cautelâ commendat Illuſtris Dn. Stryke *in Caut. Contr. Sect. 3. C. 9. §. 13.* Cœterum eum, cui mortis causâ O.B. donata ſunt, fideicommiſſo obſtringi poſſe, per *L. 9. C. de fideic. L. 77. §. 1. ff. de Leg. 2.* aſſerunt Struv. *Ex. 35. th. 6.* Wiſſenb. *Vol. 2. D. 16. th. 17.*

O. B. mortis causâ donari poſſunt.

§. XXXV.

Utrum verò Bona, â donatore mortis causâ ad teſtandum reſervata, ſi de iis per ultimam voluntatem poſtea nihil diſpoſuerit, donatario O.B. accreſcant? dubium eſt. Affirmativam tenet Carpz. *p. 3. C. 2. def. 1. arg. L. un. §. 14. C. de cad. toll.* Verum cum Jus accreſcendi locum non habeat, niſi inter conjunctos; Hic autem conjunctio nulla fingi poſſit; Sequitur, nec jus accreſcendi hoc caſu in m. c. donatione obtinere, ſed potius bona illa reſervata penes heredes ab Inteſtato remanere debere, ob præſumtam teſtatoris voluntatem, qui bona reſervata donatario relinquere noluit, ſed teſtamentariæ ſuæ diſpoſitioni reſervavit, quam cum poſtea neglexerit, Legitimæ in his bonis ſucceſſioni locum facere voluiſſe cenſetur. Struv. *in Jurispr. L. 2. tit. 10. aph. 11.* Alia ratio eſt in herede, in certâ Bonorum parte inſtituto, qui ex juris neceſſitate Omnium Bonorum

An jus accreſcendi in m.c. donat. quoad bona reſervata locum habeat.

norum dominium Jure accreſcendi nanciſcitur, ne pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus deceſſiſſe videatur defunctus, contra *L. 7. ff. de R. J.* Struv. *Ex. 40. θ. 30. in f.*

§. XXXVI.

Qu. an L. 8. C. de rev. don. *in donat. m. c. locum habeat.*

Quid ſi verò quis m. c. omnia bona vel majorem eorum partem donaverit, & poſtea liberos ſuſceperit; Qu. an revocationi, *ex L. ſi unquam. 8. C. de rev. don.* locus ſit? Affirmandum hoc videbatur, ex illâ ratione, quod donationis verbum ſimpliciter poſitum omnem donationem comprehendat, ſive mortis cauſâ, ſive non m. c. fuerit, per *L. 67. §. 1. ff. de V. S.* Et multo magis in donatione m. c. obtinere debeat, quod in donatione inter vivos conceſſum eſt. *arg. t. t. Inſt. de L. Fuſ. Can. toll.* Contraria tamen ſententia verior & juri noſtro convenientior eſt. Etenim revocanda eſſet, vel ante mortem donatoris, vel poſt mortem ejus. Ante mortem revocari nequit *ex d. l. 8.* quia vivo donatore donatio m. c. effectum non ſortitur, adeoque res donata ad eum reverti nequit, quippe quam nondum habere deſiit. Præterea donatio m. c. indiſtinctè per pœnitentiam revocari poteſt, etiam non ſuſceptis liberis; cum itaque ordinario & communi jure donator tutus ſit, non poterit ad hoc remedium extraordinarium, & ab ipſo jure communi exorbitans, confugere. Ex quo ſimul diverſitatis ratio, inter donationem mortis cauſa, & donationem inter vivos, quippe quæ ſolâ pœnitentiâ revocari nequit, manifeſtè apparet. Neque etiam poſt mortem donatoris diſpoſitio *d. L. 8.* locum ſibi vindicabit, quia pater, liberis ſuſceptis donationem non revocans, quam tamen, etiam non ſuſceptis, liberè revocare poterat, eo ipſo ſatis voluntatem ſuam declaravit, ſe eo ſemper animo fuiſſe, vel ab initio donationis, ut donaturus fuiſſet, etiamſi de liberis cogitaſſet; Ut adeò liberis deciſio *d. L. 8.* planè non proſit, niſi inofficioſam patris donationem doceant. Perez. *in C. tit. de rev. donat. n. 22.* Andr. Tiraq. *tr. ad d. L. 8. Gl. ſ. donatione largitus. n. 245. & ſeqq.*

§. XXXVII.

§. XXXVII.

De cœtero donationem O. B. mortis cauſâ â fœminâ Saxonicâ factam, ſi poſtea matrimonium contrahat, & marito ſuperſtite decedat, quantum ad Bona mobilia non ſubſiſtere, ſed ad hæc revocanda utilem in rem actionem, vel condictionem *ex L. 30. & 35. §. 1 ff. de don. m. c.* marito competere, tradunt Schneid. *ad §. 1. I. de don. n. 23.* Carpz. *Lib. 6. Reſp. 62. n. 17. & ſqq.* Cujus ratio eſt, quod Jure Sax. marito O. B. mobilia conjugis ſimpliciter adſigentur, adeoque hiſce neque teſtamento, neque aliâ diſpoſitione privari queat. Struv. *Ex. 38. th. 40.*

Donatio O. B. mortis causâ in Sax. quoad mobilia, non valet.

§. XXXVIII.

Reſtat ut de Codicillis pauca ſubjiciamus. Notiſſimi autem juris eſt, quod, licet hereditas Codicillis directo neque dari, neque adimi poſſit, etiamſi teſtamento confirmati fuerint, *§. 2. I. de Codicill. L. 10. ff. eod.* Eckolt. *ad ff. eod. tit.* §. 6. vel pater Codicillos fecerit; Graſſ. *recept. ſent. §. codicillus. qu. 1. n. 14.* Cum militi ſoli per privilegium hoc conceſſum ſit, ut Codicillis hereditatem ſuam dare poſſit. *L. 36. ff. de teſt. mil.* Attamen per fideicommiſſum, ſive precariis verbis etiam hereditas, OMNIAq; BONA, â defuncto relicta, jure relinquantur. *L. 2. C. de Codicill.* Quo caſu hereditatem integram heres fideicommiſſarius non conſequitur, ſed dodrans O. B. ab eo, qui reſtituere rogatus eſt, prius deducitur. Vinn. *ad d. §. 2. I. de Codic. n. 2.* Quod verò de patre codicillante dictum eſt, extendi non debet, ad diviſionem O. B. â patre inter liberos factam; hanc enim â Judice ad unguem ſervandam eſſe, cum DD. communiter aſſerit Graſſ. *d. l. n. 18.*

De Codicillis.

Omnia bona per fideicommiſſū Codicillis relinqui poſſunt.

§. XXXIX.

Circa ſucceſſiones ex teſtamento delatas hactenus occupati fuimus; deveniendum nunc quoque eſſet ad ſucceſſiones Legitimas, ſive ab Inteſtato delatas, Bonorumque poſſeſſiones, ubi pariter non pauca notanda occurrunt, quæ materiam hanc egregiè illuſtrare poſſent. Verum cum omnia plenius

proſequi, nec temporis ratio, nec Leges Diſputationis permittant, ne in tractatum, contra inſtituti rationem, diſputatio hæc excreſcat, finem *cap. 2.* impono, & ad delicta breviter adhuc me converto.

CAP. III.

De

BONIS OMNIBUS IN DELICTIS.

§. I.

Connexio. SUpereſt ut, perſpectis iis, quæ de BONIS OMNIBUS in actibus inter vivos & ult. volunt. notari poterant, delicta paucisſimis percurramus, & in quibusnam OMNIUM BONORUM confiſcatio locum olim habuerit, ac hodiè adhuc habeat, oſtendamus. *Capitalibꝰ pœnis Jure ff ſemper annexa erat Confiſcatio.* Cum verò olim Jure ff. omnes capitali crimine damnati ſimul etiam bonorum omnium confiſcatione puniti fuerint, quia ſtatim eo ipſo, quo ſententiam paſſi erant, libertatem civitatemque amittebant, & pœnæ ſervi efficiebantur, *L. 12. ff. de pœn. L. 8. §. f. ff. qui teſt. fac. poſſ. L. 1. & t. t. ff. de bon. damn.* atque hinc indubitatum ſit, Jure ff. in omnibus criminibus capitalibus pœnam confiſcationis obtinuiſſe, etiamſi in ſententia expreſſa non fuerit, *d. l. 1. & 2. ff. d. t. L. 2. C. de bon. proſcript.* ideò in ſingulis delictis illud plenius demonſtrare opus non erit, ſed in præſenti quædam ſaltem, & rariora quidem ex multis exempla, ubi in delictis capitalibus partim partim non capitalibus pœna hæcce locum ſibi vindicaverit, adduxiſſe ſufficiet.

§. II.

Frequentiores olim fuerunt confiſca- Equidem in Romanâ quondam Republicâ frequentiorem, quam hodie, confiſcationis uſum fuiſse, ex ſubjiciendis mox exemplis cuilibet ſatis patebit. Cum enim aliqui adeò viles abjectique animi ſint, ut bonorum amiſſione magis, quam

ullâ

u''â aliâ, vel honoris vel vitæ jacturâ perturbentur, metu bonorum amiſſionis eos Romani Legislatores terrebant, quos vitæ & exiſtimationis periculo in officio continere non poterant. Perez. *in C. tit. de bon. proſcript. n. 21.* Hinc ille, qui ruſtica num in patrocinium ſuum ſuſcipiebat, ſi nobilis erat, centum auri librarum condemnationem ſubire tenebatur; ſin vero mediocris fortunæ homo, Bonorum Omnium amiſſione plectebatur. *L. 1. C. ut nem. ad ſuum patr. &c.* Eidem Bonorum Omnium confiſcationis pœnæ ſubjiciebatur, qui ruſticanum ad obſequium inſolenter cogebat, ſervos & aratorios quoque boves abducebat, & in proprios uſus convertebat. *L. f. C. ne ruſt. ad ull. obſ. &c.* Similem pœnam ferebant peræquatores dolo agentes. *L. pen. C. de cenſib.* Item, qui Caſtellorum agros detinebant. *L. 2. C. de fund. limitroph.* Qui militibus ſtipendia non erogabant. *L. 16. §. 6. C. de erog. mil. ann.* Qui arma, aut frumentum, aut ſales ad hoſtes exportabant. *L. 2. C. quæ res exp. non deb. L. 11. pr. ff. de public.* Rectores Provinciæ, qui deſertorem ſtatutâ pœnâ non afficiebant. *L. 1. C. de deſert.* Qui fraude ad dignitates accedebant. *L. 9. C. de div. off. add. L. f. C. eod.* Executores contra ſtatuta exequentes. *L. 6. C. de execut. add. Nov. 124. cap. 2. & Nov. 130. cap. 7.* Publicæ lætitiæ nunciatores, immodicum quid accipientes. *L. 1. C. publ. læt. nunc &c.* Qui prædiis alienis ſuos titulos imponebant. *Nov. 17. cap. 15.* Prætor, qui mandata non obſervabat. *Nov. 29. cap. 4.* Qui ſanguine veſcebantur. *Nov. Leon. 58.* Eunuchos facientes. *Nov. 142. & Nov. Leon. 60.* Defunctorum hereditates, excluſis veris heredibus, invadentes. *Nov. 164. in Ep.* Monopolia inſtituentes. Struv. *Ex. 23. θ. 67.* Et, ut unicum ex Canon. Jure adducere liceat, duellum ineuntes. *cap. f. de duell. Lib. VII.*

tiones, ac hodie.

Varia exempla confiſcationis O.B.

§. IV.

Utrum verò hodiè adhuc confiſcationis uſus aliquis ſuperſit, an verò penitus illa ſublata ſit? controverſum eſt. Poſterius aſſerendum videbatur, propter *Nov. 134. cap. f. & indè* *def.*

An hodie adhuc confiſcatio-

onis uſus ſuperſit?

d.ſ. auth. bona damnatorum. C. de bon. proſcript. ubi generaliter bonorum confiſcatio abrogatur, ſolo Majeſtatis læſæ crimine excepto; Exceptio autem in caſibus non exceptis regulam firmat. Undè & hodiè ad mortem damnatis teſtamenti factionem competere, ferè omnes aſſerunt. Vid. Carpz. *p. 3. C. 5. def. 1. & Pract. Crim. p. 3. qu. 135. n. 27. & ſeqq.* Verum cum *in d. Nov. 134.* confiſcatio abſolutè remiſſa non ſit, ſed tantum in favorem deſcendentium & aſcendentium usque ad tertium gradum, quibus ab Irnerio *in d. auth. bona damnatorum.* collaterales in eodem gradu additi ſunt, nulla ratio apparet, quare non his perſonis deficientibus hodiè adhuc Fiſcus ob delictum bona vindicare ſibi queat. Imò, præter crimen L. Majeſtatis, adhuc caſus dari, in quibus confiſcationi locus ſit, patet *ex auth. Gazaros. C. de heret. & Manich.* ubi hereticorum Bona Omnia confiſcantur, ut filii patri ſuccedere nequeant; Et *ex auth. Navigia. C. de furt.* ubi eorum bona confiſcantur, qui naufragorum bona occupant; Quæ ipſæ conſtitutiones per *d. auth. bona damnatorum.* abrogatæ dici nequeunt, quia hæc, utpote ab Imp. Frid. 2. latæ, longe poſteriores ſunt. Richt. *ad d. auth. navigia C. de furt. n. 31.* Idem etiam, videl. caſus adhuc hodiè ſupereſſe, ubi bona, æque ac in crimine L. majeſtatis, confiſcari poſſint, probari poteſt. ex Conſt. Crim. *art. 218. in verb.* oder ſonſt in andern Fällen ꝛc. ut & ex Cap. Joſeph. *art. 26. ibi:* oder ſonſten *ex delicto &c. item:* oder ſonſten *ex alio delicto &c.* Ut hinc generaliter concludendum ſit, Bonorum confiſcationes hodiè in damnatis ad ultimum ſupplicium, excepto ſolo L. Majeſtatis crimine, ceſſare, ſi cognati ad tertium usque gradum adſint; in aliis verò cauſis, ubi capitale ſupplicium delinquenti non imminet, ſi hæc confiſcationis pœna expreſsâ Lege, vel Principis conſtitutione dictata ſit, adhuc hodiè eandem obtinere. Illuſtris Dn. Styke *V. 1. Diſſ. Jurid. Diſſ. 2. cap. 6. n. 7. & ſeqq. & D. 4. cap. 4. n. 22. & 23.*

§. IV.

Stante itaque illâ ſententiâ, nec hodie Bonorum confiſcationes penitus ceſſare, ulterius nunc videndum erit, quænam bona confiſcari, & à Fiſco propter delictum occupari queant? Ubi generaliter dicendum exiſtimo, OMNIA BONA, jura & actiones, quæ per contractum, aut ultimam voluntatem in extraneum transferri poſſunt, ſimiliter poſt publicationem in Fiſcum tranſire. Lauterb. *in Comp. p. m. 716.* Peregr. *de Jur. Fiſc. L. 5. t. 1. n. 68.* Et vice verſâ, quæ in extraneum transferri nequeant, nec à Fiſco vindicari poſſe. Gomez. *tom. 2. var. reſ. cap. 15. n. 18.* Sic bona feudalia, cenſualia, emphyteutica & fideicommiſſo ſubjecta, cum alienari, & in extraneum transferri nequeant, nec â Fiſco occupari poterunt. Beſold. *p. 3. conſ. 95. & conſ. 135.* E contra bona uſufructuaria, cum ab uſufructuario, quantum ad commoditatem, & facultatem fructus percipiendi, validisſimè alienari poſſint, eatenus quoque ob delictum uſufructuarii confiſcationi ſubjecta erunt.

Quanam bona in confiſcationem O. B. veniant?

§. V.

Hoc tamen probè notandum, ad futura bona, & poſt bonorum publicationem acquiſita, confiſcationem non extendi, ſed hæc ipſa ad vitam retinere, cujus bona publicata ſunt, *L. 22. §. 5. ff. mand.* Mortuo verò Fiſcum ſuccedere, veluti hoc contra Gomez. *t. 3. var. reſ. cap. 14. n. 1.* ex *L. 2. C. de bon. proſcript.* probatum dedit Eman. Soarez. *in not. ad Gomez. d. l. lit. a.* Idem dicendum de bonis ante delictum â delinquente alienatis, quippè quæ Fiſcus, cui tunc temporis nulla obligatio quæſita erat, nullo modo revocare poteſt; Niſi fortè delinquens in fraudem Fiſci alienaverit, per *L. 45. ff. de Jur. Fiſc.* quod factum præſumitur, ſi ante delictum bona ſua omnia donaverit, *arg. L. 17. §. 1. ff. qu. in fr. cred.* vel eadem vendiderit. Gloſſ. *in L. qui teſtamentum. 27. ff. de probat.* Quod & procedit in bonis poſt delictum quidem, ſed ante ſententiam â delinquente alienatis,

Non veniunt futura.

Nec ante, nec poſt delictum alienata.

tis, per *L. poſt contractum. 15 ff. de donat.* Brunnem. *in R. P. W. tit. ff. de bon. damn. qu. 14.*

§. VI.

Nec bona profectitia. Nec caſtrenſia.

Porrò, ſicuti patre damnato Omnia bona, etiam à patre profecta, filius retinet, per *L. 3. §. 4. in f. de minor.* ita viciſſim filio condemnato, Omnia ejus Bona, etiam in caſtris acquiſita, parenti relinquuntur, nec in Bonorum Omnium confiſcationem veniunt, per *L. 3. C. de bon. proſcript.* Etenim antiquo jure, nec in caſtrenſibus bonis filius heredem habebat, ſed pater illa jure peculii & tanquam propria bona occupabat. *L. 2. ff. de Caſtr. pecul.* Ergò filio condemnato, Fiſcus ſuccedere non poterat, (cum per condemnationem pro herede hic reputetur, *L. 2. C. ad L. Jul. de vi.*) ſed patri bona illa, tanquam propria, relinquenda erant.

§. VII.

Quod nec hodiè mutatum.

An autem deciſioni *d. L. 3. C. de bon. proſcript.* adhuc hodiè locus ſit? disquiri meretur. Negativam ſententiam veriorem pronunciat Gomez. *t. 2. var. reſ. cap. 15. n. 15.* ex ratione, quod filiusfam. in caſtrenſibus bonis pro patrefam. habeatur, eaque, ſicut Dominus, liberè & abſolutè, etiam per delictum alienare queat. Accedit, quod hodiè filius in quibuscunque bonis heredem habeat, & ipſi defuncto pater tanquam heres ſuccedat, per *Nov. 118. c. 1. & 2.* adeoque ſi ex delicto confiſcationis pœnam incurrat, non patrem, ſed Fiſcum ſucceſſorem nanciſcatur, qui virtute confiſcationis omnibus aliis heredibus præfertur. Contraria tamen ſententia æquior & verior videtur; Licet enim per *d. Nov. 118.* pater hereditario jure ſuccedat, generalis tamen hæc conſtitutio eſt, nec jus illud, patri *in d. L. 3.* conceſſum, in ſpecie ipſi adimit, quod itaque mutatum non eſt, quare ſtare prohibetur? *L. 27. C. de teſtam.* Nec obſt. ratio dubitandi ſuperius adducta, quod videl. in his bonis pro patref. filiusfam. reputetur, quia ſeparatio peculiorũ in filii favorem facta, in odium parentis detorquenda non eſt. Brunnem. *in Comm. Cod. ad L. 1. C. de bon. proſcript. n. 7. & 8.* Lauterb. *in Comp. p. m. 716. in f.*

§. VIII.

§. VIII.

Cœterum in confiſcatione O. B. officio Judicis, bona Fiſco addicentis, incumbere, ut Bona Omnia damnati, mobilia & immobilia, jura & actiones ſigillatim & ſpecificè conſignet, agrorum quoque & mancipiorum qualitates, locorum immunitates, & in ſummâ quicquid in bonis eſt, cum omnibus qualitatibus & circumſtantiis deſcribat, & deſcriptionem illam Cæſaris procuratori tradat, conſtat *ex L. 7. C. de bon. proſcript.* & Conſt. Crim. *art. 206.* In quâ deſcriptione faciendâ, ſi judex negligenter ſe geſſerit, arbitrariè mulctabitur. Si verò dolum commiſerit, ita condemnabitur, ut aliud tantum, quantum ſubtractum fuit, ex propriis facultatibus Fiſco inferat. *d. L. 7. in f.* ibique Brunn. *in Comm.* Conf. Meier. *in C. J. A. tit. ff. de bon. damn. §. 7. n. 2.* *O.B. confiſcanda probè conſignanda ſunt.*

§. IX.

Illud de Jure Civile certum eſt, Bona omnia, ubicunque etiam ſita ſint, cum ob delictum publicantur, uni Imperatoris Fiſco applicari. *L. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Conf. Aur. Bull. *cap. 24. princ.* Verum cum hodiè in diverſis territoriis bona publicanda ſint, diſtinguendum hac parte eſt, inter bona Imperii mediata & immediata: hæc indiſtinctè adhuc hodiè Imperatotis Fiſco cedunt: illa autem, ſi immobilia ſint, vel mobilia quidem, ſed ad certum locum deſtinata, Fiſco illius Principis, in cujus territorio ſita ſunt, applicantur; ſin vero mobilia ſint, ad domicilii Judicem pertinent, quia mobilia bona perſonam regulariter ſeqvuntur, ibiqve eſſe intelliguntur, ubi quisque domicilium habet, *arg. L. 203. ff. de V. S.* Vid. Capit. Ferd. *3. art. 28.* Leop. *art. 27.* & Joſeph. *art. 26.* ibique Illuſtris Dn. Stryke *in dictat.* Conf. Wiſſenb. *ad ff. V. 2. D. 37. §. 26.* Brunnem. *R. P. W. tit. ff. de Bon. damn. qu. 13.* Atque hæc quidem de prolixâ hacce atqve arduâ materiâ pro ingenii modulo dicta ſufficiant. Largitori interim Omnium, tam præſentium, quam futurorum Bonorum, pro conceſſis viribus, ſit laus honor & gloria, in ſempiterna ſecula. *J. Civili O. B. confiſcata uni Fiſco debentur.* *Quid hodiè?*

FINIS.

Ad Nobiliſſimum Dn. Doctorandum,
De Eo
Quod Juſtum eſt
circa
OMNIA BONA
eruditè diſputantem.

OMNIA quæ vaſtus BONA nunc complectitur orbis,
Haud *bona* ſunt; potius turgida bulla, nihil.
Cernimus aſt multos, quos inſatiabilis auri
Ducit amor, quique hinc horrida bella movent.
Tu melius ſentis, BONA quærens OMNIA, verè
Quæ *bona* ſunt, deque his prælia docta ciens.

gratulab. ſcrib.

PRÆSES.

OTia diffugiunt; Recedunt, cum Sole coruſco.
Pugnaces animi, renovatâque omnia vita.
Protinus ardeſcunt: hyberna ignavia deſit.
Jam madidos Piſces Aries excepit aduncis
Cornibus, hinc Laurum procurrens altius Aethon
Tanget & imminuet Phœbes nimis impiger horas.
Sunt animæ, quæ celſa petant, quæ culmina cœli
Aſpirent, rapidumque ineant haud deſide curſum
Conatu: pudor eſt, ſcandente haud ſcandere Phœbo,
Quas inter retulit, Velox Te fama, ſacerdos
Aſtereæ Themidos! ſeriſque induſtria faſtis,
Dum celeri Superis accedis mente, micabit.

JOH. CHRIST. LUCAN. J.U.S.

Emoritur mundana ſalus, quia turbine multo
Et bella atque fames nunc mala mille ferunt.
Non tamen exuitur plane pia nata Tonantis
Sed firmâ fruitur Sancta Salute Themis.
WOLFARTI? jus ſasq; Tibi jam fœdere jungis
Hinc Tua cum Aſtræa ſtatq; vigetq; ſalus.
Acclamant nitidis gratantium vota triumphis.
Te beet è verâ vera ſalute Salus.

Chriſtianus Caſimirus Radefeldt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA